


M





ATTILII BVLGETII PATAVINI

PHILOSOPHI, ET MEDICI CLARISSIMI

DE AFFECTIONIBVS CORDIS TRACTATVS

IN TRES LIBROS DIVISVS.

QVIBVS ACCESSIT

De Morbis Venenatis, Venenisq;

TRACTATVS GENERALIS.

Amplissimo, & Sapientissimo

PHILOSOPH.um AC MEDIC.um PAT.no COLL.gio

DICATVS.







PATAVII, M. DC. LVII.

Apud Ioannem Baptistam Pasquati.

Superiorum permissu.

c

AMPLISSIMO,

Ac Sapientissimo Philosophorum, & Medicorum Antenoreo Collegio.



VERVM ætatis annum duodecimum vix agentem, politiorisque Mineruæ vix Sacris initiatum, gemina huius operis munia, Typographiæ videlicèt cẽsuram, & Dedicationem suscepisse, maxima quispiam fortassè detinebitur admiratione; Par siquidèm oneri ceruix esse debet, nihilque temerè tentandum; Optimus enim Vates canit Ouidius,

Non ideò debet pelago se credere, si qua
Audet in exiguo ludere cymba lacu.

Duo tamen quamcunq; temeritatis notam delere posse; fisus, humeros licèt imbecillimos oneri lubens subieci. Quorum vnum est, adeò gloriosum esse suprà vires quandòque audere, vt magnis etiàm excidisse ausis sua decoretur laude, quod aliorum multis omissis exemplis eiusdem Poetæ auctoritate de Icaro loquentis comprobabo; nam huic iter ad sydera agenti haud tot erant sui casus derisores, quot generosi volatus, & excelsi conaminis admiratores,

——— ——— ——— Stiuaque innixus arator
Vidit, & obstupuit: quippè æthera carpore posset,
Credidit esse Deum.

Alterum verò amoris debitum, & obseruantiæ testimonium ergà Auctorẽ Consanguineum mihi carissimum, qui vel ipso iuuentutis flore sinistro quodam, occultoque Fato oculorum lumine (proh miserande casus?) inopinatè destitutus, cum id omnibus numeris absolutum opus, aliaque multa typis prodere seriùs distulisset, postremo eius Testamento, in quo & Vestrum Collegium quibusdam appositis conditionibus instituit hæredem, hanc nobis delictis Posteris prouinciam demandauit, & Vobis Amplissimis, ac Sapientissimis Patribus in perrenis obsequij monumentum post eiusdem nunquàm satis deploratum obitum paucis interiectis mensibus reliquit sacrandum. Quod ætate

a a qui-

quidèm adeò immatura perficere adactus, nisi vndequàque edolatum vobis exhibeo, mihi condonetis obsecro, eò saltèm, vt vel in minimis accipiendis incredibilis vestra vbiquè magis elucescat humanitas. Munus per se quidèm paruum, at ijs, qui Alexandri Macedonis, & Artaxersis (quorum vterque latices ex præter labente fluuio rustica manu porrectos gratiore censu, quàm à Lydis Regibus Hermi, Pactolique aurum accepit) animos referunt, satis magnũ: Hi enìm, quemadmodùm Imperator Theodosius Pomũ ab Agricola quodã, & Ludouicus XI. Caroli VII. filius magnam à Conone Rapam dono hilaritèr, ac libentissimè accipientes, alijque quamplures munuscula sincero data animo magnificere gloriosum autumabant. Quare & VOS Patres Sapientissimi hoc Consanguinei mei, meæque deuotionis Vestro immortali Nomini addictissimæ pensum, ac qualecunque Munus de more hilari fronte, serenoq; vultu accipiatis enixè deprecor, maiora etiàm (fauente Deo) accepturi, si de vestra dignitate nos optimè meruisse vestra testabitur beneuolentia; nec non Patrocinium vbiquè nobis exoptatissimum. Valete ad Nestoreos annos.

Dat. Patauij Prid. Cal. Augusti Anno à Christi Nat. M. DC. LVII.

Vestri Sacrosancti Collegij

Humillissimus, & Addictissimus Seruus

Franciscus Panizzolus.

INDEX

INDEX CAPITVVM

Primi Libri.

SECVNDI LIBRI.

TER-

INDEX CAPITVVM

Libri De Venenis.

FINIS.

1657. Die 16. Mensis Aprilis.

Ego Ioan. Franciscus Bonardus in patrio Patauino Archigymnasio Medicinæ Practicæ Ordinariæ Professor fidem facio, & attestor in hoc opere Excellentissimi D. Attilij Bulgetij Patauini nihil contra Catholicam fidem contineri, ideo dignum esse vt typis mandetur ad studentium, & patientum vtilitatem.

1657. Die 18. Mensis Aprilis Patauij.

Ego Iacobus Antonius Ventionensis Phil., & Med. D. fidem facio, & attestor in hoc opere Excellentissimi D. Attilij Bulgetij Patauini nihil contra fidem Catholicam contineri, proindeque dignum esse, vt typis mandetur, quoniam in eo multa artis præcepta, eaque vtilissima tùm ad ægrorum, tùm studentium vtilitatem includi, ex illius sedula, ac repetita lectione nobis licuit dignoscere.

Stant. suprad. Attest. Imprimatur Fr. Bernardinus de Mattera Vic. Gen. S. Officij Paduæ Dat. ex ædibus S. Officij apud D. Antonium die 19. Mensis Aprilis 1657.

Noi

Noi Reformatori dello Studio di Padoa.

HAuendo veduto per fede del Vicario General del Santo Officio di Padoa; che nell'opera di D. Attilio Bulgetio Padouano; intitolata. De affectibus cordis tractatus &c., non vi esser cose cõtro la Sãta Fede Cattolica, & parimẽti per atteſtato del Secretario noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concedemo licenza, che ſia ſtampata; oſſeruandoſi le leggi in queſto propoſito, & preſentandone due copie nelle librarie publiche di Venetia, e Padoa.

Dat. 16. Luglio 1657.

Leonardo Emo Reformator.

Zuane Peſaro Procur. Reformator.

Franceſco Verdizotti
Secretario.

ATTI-

ATTILII BVLGETII

PATAVINI

De Affectionibus Cordis.

LIBER PRIMVS
De Præcognitis.

CAPVT PRIMVM
Intentio Auctoris.

ANtiqua apud omnes consuetudo est, vt qui librum in aliqua scientia, aut arte, longis lucubrationibus conficit; & confectum in lucem edit, vt vna ex tribus causis à Galeno propositis 7.Methodi cap.1.vbi ad Euganionem scribit, hoc facere sit coactus. Prima,vt gratificetur amicis: Secunda, vt qui scribit exercitetur per intellectum in re vtilissima, de qua scribit. Tertia est vt per hunc librum succurrat obliuioni, quæ adueniente senio illius rei, de qua scribitur succedere posset.scripturus ego de affectionibus cordis libellum, quæ causa me impullerit patefaciam: Fateor primam causam ad hoc me non impulisse,nam vt liberè loquar, nullo etiamsi amicissimo, vsque in hodiernam diem,hanc meam patefeci sententiam: Sed quod magis est, si quispiam hoc mihi flagitasset, satisfacere posse negassem, non quia amicos contemnem, cum ipsos ex corde, totis viribus, summisque visceribus, colam atque diligam; sed vt vulgi famam, ac laudem euitarem,cum hæc non homini, sed soli immortali Deo conuenire videantur. Hanc eandem famam mortalibus hominibus christiana religio detestare videtur cum scriptum euangelicè sit, qui se humiliabitur,exaltabitur, & è contra. Hac de causa credo Galenum vsque in adolescentiam, vulgi famam contempsisse, vt refert antecitato capite. Quapropter nullum librum nomine suo inscripsit, sed de hoc non contentus amicos, & Scholares rogabat, ne eum immodicè,vt solebant,apud ho-

mines laudarent, nec nomen in libris, quos prodebant, inscriberet; Ideò prima relicta causa, aliæ duæ hunc librum vt scriberem me induxerunt: Vt scilicet intellectum meum in re vtilissima exerceam, quò habituato exercitio per ordinatam methodum possem deinde obliuiori huius materiei, de qua in hoc acturus sum libro, succurrere, quæ forsitan ob senium succedere posset. Esse autem tractationem de affectionibus Cordis vtilissimam, meridiana est luce clarius; nam cum cor sit vitæ principium, officina caloris, viuifici nectaris receptaculum, scaturigo pulsus, respirationis auctor; Solum diu vitia non patiatur, ac semel læsum securissimam mortem inducit. Hoc viuente viuunt alia, morienteque moriuntur ex Galeno 4. de locis affectis, quis ergo dicere audebit, tractationem de affectionibus cordis quo ad cognitionem, curationemque vtilissimam non esse? Nemo sanæ mentis (ni fallor:) Hanc itaque humanæ vitæ vtilissimam tractationem, vt exactissimè, ordinatè, facillimèque ab omnibus, etiam tyronibus intelligi possit; de corde aliqua sunt procognoscenda, atque exactè intelligenda. Primo, & ante omnia constructio, ac anatomes cordis, cum impossibile sit de alicuius subiecti passionibus verba facere, nisi primo per philosophum, An sit, & quid sit subiectum cognoscatur. de quæstione an sit superfluum nobis videtur sermonem instituere, quoniam de re certissima, de corde scilicet an reperiatur in corpore humano nemo vnquā dubitauit, imo omnes vna voce comprobarunt, ipsum esse fontem omnium partium corporis, omniumque actionum in illo microcosmote viuente, eoque deperdito omnes actiones corporis deperdi.

De Anatome Cordis.

CAPVT SECVNDVM.

TAmetsi tractatio anatomes Cordis ad anatomicos potiùs, quàm ad physicos attinere videatur, aliqua tamen de hac re dicere in hoc opere coactus sum; nam cum superiùs pollicitus sim in tractandis affectionibus cordis, ordinatam, ac facillimam tractationem facturum, atque ita facilem, vt ab omnibus apprehendi possit; quoniam

autem

autem hoc fieri non poteſt, niſi ſubiectum, quale eſt cor, vſque ad intima cognoſcatur: hancque cognitionem ſola anatome doceat: cum omnes anatomici non ſint; & potiſſimùm tyrones, ob hanc cauſam pro facilliori cognitione, aliqua de anatome Cordis dicere neceſſarium iudicauimus, quæ dicenda vt ordinata ſint, definitionem cordis afferam, ex qua deinde, quomodo integretur cor anatomicè oſtendam, quam anatomen ex profeſſo tractare non intendo; ſed ſolum in gratiam affectionum cordis; quapropter ſtudioſe lector mirari non debes, ſi rem hanc accuratè, ac diligenter, vt res ipſa, ac partis præſtantia poſtulat, non tractabo: Polliceor tamen breuibus illa omnia de cordis ſtructura patefacturum, quæ exactam cognitionem affectionum cordis docere poſſunt. & primo quod pertinet ad definitionem eius ſic definiri poſſe commodè mihi videtur; Cor eſt pars quædam noſtri corporis nobiliſſima, ex carnea ſubſtantia ſui generis conflatum, membrana inuolutum, arteriarum omnium radix, fons, & origo, Venis, ac neruis contextum, in quo reſidens vitalis facultas vitales ſpiritus procreat. Hanc eſſe veram, ac bonam definitionem cordis facilè probari poteſt, quia eſt data per vltimum genus, ac differentias proximas; tum etiam quia cum definito conuertitur, vt docet Ariſtoteles ſecundo poſteriorum. Ex hac natura cordis, qualis ſit eius actio, ex vltima definitionis differentia dictum eſt. Hæc autem eſt vitalis ſpiritus ab inſita vitalis cordis facultate generatio: impoſſibile autem eſt, hos ſpiritus in corde generari, niſi cordis facultas vitalis, atque ipſum cor optimè, ac naturaliter habeat. De vitali facultate hoc ſatis clarum eſt. Nam ſi lipothymiam, aut ſyncopem patiatur cor, in quibus affectionibus à naturali ſtatu mutatur facultas: tunc temporis vitales ſpiritus non procreantur, quinimò procreati reſoluuntur, & euaneſcunt. Sed præter facultatem, cor etiam ipſum optimè conſtructum, ac fabricatum eſſe requiritur, ad vteri ſimilitudinem. Nam ſi vterus non ſit ſtrictus, ac formatus, ſed inæqualis deformis, infantes deformes, ac labe aliqua affecti naſcuntur, propterea ingenioſiſſima natura in re ita neceſſaria vitæ procreanda omne ſtudium, artem, ingeniumq; adhibuit, vt cor ad tale opus aptiſſimum redderetur, quod verum eſſe, cordis ſtructurā, ac anatomen libra-

mus, & primo carneam cordis substantiam intueamur. Videbimus enim carneam eius substantiam, naturam satis crassam, ac duram contraxisse, quod duabus de causis factum esse putandum, prima ne in validis rumpatur motibus. Secunda ne vitales spiritus in corde geniti, ac qui continuò generantur, cum sint tenues, dissoluerentur, ac euanescerent, cum tenue, ac dissolubile, faciliùs mole, quam durum euolet, atque pertranseat. Præter duritiem fecit ipsum figuræ potiùs pinnealis, vel pyramidalis, quam secus, vt caloris capacissimum sit; nam omne extremè calidum, vt est ignis, hanc sibi occupare figuram, certissimum est: quare iam autem periculum erat, ne cor ob sui calidam naturam, & perennem motum, exicaretur, ac tabesceret, inuoluit ipsum capsula quadam aqueo humore repleta, (licet de hac aqua Curtius Papiensis dubitauerit) in eumdem finem anatomici putarunt in superfitie cordis pinguedinem construxisse naturam: ex quibus satis clarè patet, vt vitales spiritus generari possint, quo ad partem extrinsecam cor disposuisse naturam; Sed si interius linceis oculis inspiciamus, videbimus maiorem intrinsecè dispositionem, ac apparatum ad spirituum generationem, quàm extrinsecè fecisse naturam, quod admiratione dignum videtur; Hoc autem verum esse ostendo: Si vitales spiritus in intima cordis parte generari debent, vt commodè generari possint, necessarium erat, materiam, ex qua generarentur spiritus, ad intimam cordis partem peruenire, peruentam retineri, & in naturam spiritus commutari: Hæc autem spirituum natura, & materia, omnium medicorum sententia, & vt expressit Gal. 12. meth. cap. 5., & 7. de Placitis Hippocratis, & Platonis cap. 6. duplex est, Aer, & sanguis; tenebatur itaque natura, sanguinem, & aerem, ad intimam cordis partem ducere, atque introducere, cum hæc duo non generentur in ipso: hac de causa in basi cordis, natura duos tubos tamquam aquæ ductus porrexit: Vnus peruenit in dextra quadam cordis cauitate, qui ventriculus dexter ab Anatomicis dicitur, & est vena caua, quæ à iecore orta inseritur in cor vt ipsius beneficio à iecore ad dextrum cordis ventriculum portaretur, sanguis. Alter est arteria venalis, quæ à corde orta in pulmones inseritur: quod vas præter fuliginum expurgationem, aerem à pulmonibus exugens, & in alia cordis cauitate, qui ventriculus sinister dicitur, portat, ac intromittit, quibus mixtis, Cor propria quadam vi, & facultate

(me-

(mediante suo perenni motu,) in vitales spiritus conuertit, atque mutat, quibus genitis, eorum pars in eodem detinetur viscere pro innati eiusdem partis caloris conseruatione, pars ad alias corporis partes ducitur, ac distribuitur, ne earum calor insitus, euolet, ac hebetescat. Sed quoniam à corde ad ceteras corporis partes, vitales isti spiritus distribui non valent; nisi viæ, ac ductus cuiusdam beneficio, hac de causa, natura sinistro ventriculo cordis fabrefecit tubulum quendam, qui cum oriatur à corde, omnibus nostri corporis partibus porrigitur, ac committitur, vt ipsius beneficio spiritus vitales omnibus partibus impartiri possint, quem tubulum Aortam Arteriam anatomici nominarunt. Præter hæc tria vasa, quartum vas fabrefecit natura cordi, quod dextro ventriculo complicauit, & vena arterialis dicitur; cuius vsus est sanguinem à dextro ventriculo ad pulmones ducere, pro eorum nutritione, ac recompensatione illius Aeris, quod cor à pulmonibus obtinuit: cuius venæ Realdus alium vsum agnouisse putauit, & est, sanguinem à dextro in sinistro ventriculo, siue sinu ducere, eo scilicet communicato à vena arteriali in arteria venali, qui cum aere mixto, in eodem ventriculo sinistro vitales spiritus generari ratus est: hunc vsum præter alios anatomicos Realdus cognouit, quia cum negauerit sanguinem, ex quo conficiuntur spiritus, mitti posse à dextro in sinistrũ ventriculum per quasdam cauitates, quæ reperiuntur in septo, quod intercidit inter dextrum, & sinistrum ventriculum, quas cauitates alij ventriculum medium appellarunt: tenebatur, viam aliquam inuenire, per quam sanguis à dextro in sinistro permeare posset, qui cum meliorem, quam venam arterialem inuenire non potest, hac de causa hunc vsum huic venæ attribuere coactus fuit; Sed quid dicemus de Auriculis Cordis, de vndecim ostiolis, seu membranis, quæ quatuor dictis vasis assistere videntur: Hæc quidem omnia nullo alio fine cordi apposita esse videntur, nisi vt commodè preparent, ac disponant cor, vt in eo vitales spiritus generari possint, genitique conseruarentur, & qui ipsi superflui sunt facilimè alijs partibus communicarentur. Hæc sint satis de rudi anatome, ac cognitione Cordis.

An Vitalis facultas, quæ spiritus vitales gignit residat in Corde.

CAPVT TERTIVM.

DIctum supra fuit in corde insitam quandam reperiri virtutem, quam vitalem medici appellant, ope cuius vitales spiritus in eo procreantur. Quoniam autem hoc axioma non est, hanc veritatem rationibus, & auctoritatibus comprobari tenemur. Ad auctoritates pr. Gal. pluribus in locis hoc patefecit pr. 9. meth. cap. 9. vbi apertissimè dicit. Tres inter se diuersi generis facultates animal gubernare, quarum vna in cerebro, vt animalis residet; Alia in iecore, vt naturalis; Tertia in corde, vt vitalis; Idem 6. de Placitis prope principiũ apertissimè dicit. His auctoritatibus alia accidit Gal., quę desumitur è septimo de decretis Hip., & Platonis cap. 3. vbi dicit, vitales actiones in corde fieri, vt est constantia, ira, Pulsos; Si in Corde fiunt à vitali facultate fiunt. Sequitur ergò vitalem facultatem residere in Corde. Præter Gal. auctoritates est Auicennæ auctoritas. Prima Primi Doctrina 6. cap. 4., vbi de vitalibus facultatibus agens dicit, virtutem vitalem eam esse, quæ cum ad mẽbra peruenerit, ea parat ad recipiendum sensum, & motum, quam in corde residere, & ab eo oriri fatetur. Preter auctoritates, idem pluribus rationibus confirmari posse videtur, quarum aliquæ immediatè concludunt, vitales facultates residere in corde; Aliquæ non ita immediatè, cum concludant tantum vitalem spiritum generari in corde. Ex hoc tamen aliqua supplendo facillimè colligitur, vitalem facultatem residere in corde. Prima ratio huiusmodi est: In efficiendo opere, Vbi reperitur officina, & opus; ibi ex necessitate efficiens opus reperiri debet: aliter fieret opus absque efficiente, quod inconuenit: Sed in efficiendo spiritu vitali Cor ex Galeno libro de vsu partium est officina, & spiritus vitalis, qui in corde fit, est opus: ergo agens, qualis est vitalis facultas, in vitali spiritu efficiendo in corde reperiri debet. Secunda: spiritus vitales in corde geniti, omnium medicorum consensu, à corde in alias corporis partes emanant. At dicere emanare a corde ad alias partes nil aliud est, quam dicere procreatricem spiri-

ſpirituum vitalium in eo viſcere contineri, vt placuit Galeno 6. de decretis cap. 4. vbi ait; qui dicit ſanguinem emanare à iecore, dicit ſanguinis procreatricem facultatem in eo viſcere contineri; ergo vitalem facultatem, qui vitales ſpiritus procreat, in corde reſidere non eſt verendum. Tertia ratio: ſi vitalis facultas non reſidet in corde: ergo reſideret in cerebro, Iecore, teſtibus, aut alia corporis parte: ſed non poteſt reſidere in cerebro, cum animales facultates omnium medicorum ſententia, cerebrum iam tenere videantur: non in iecore, cũ iecur naturalis facultatis ad indiuidui conſeruationem neceſſaria ſit officina: minus in teſtibus, cum teſtes naturalem ad ſpeciei conſeruationem obtinuerint. multò minus in alia corporis parte inſitam eſſe credendum, nam ea pars, vbi vitalis reperitur facultas, debet quid mittere, ac communicare alijs, vt ſuperius ex Auicenna probatum eſt. At ceteræ corporis partes, quę principales non ſunt, alijs nil mittunt, ac diſtribuunt, ſed ipſis ab alijs tribnuntur, cum aliquæ habeant tantum facultatem inſitam, aliæ inſitam, ac influentem, vt Gal. lib. artis Medicæ cap. 9 manifeſtauit: reliquum eſt itaq; vt credamus, vitalem facultatẽ in corde collocatam eſſe. Quarta ratio ex neceſſitate depromitur: Cum nr viuentium corpora ob continuos labores, inedias, coitum, animi pathemata, quo ad contenta, continentia, ac impetum facientia, reſoluantur; neceſſarium erat pro eorum conſeruatione, vt natura in eodem corpore, aliquas deputaret partes, ob quarum actiones, reſolutis partibus, cõſulere, ac ſubuenire poſſet: aliter citò reſolueretur animal: Sed reſolutioni concentarum, & continentium ſubuenit beneſitio iecoris, quod generat ſanguinem, quo venarũ interuentu humores, ac ſolida reſarciuntur, ac renutriũtur. Reſtat, vt vitales ſpiritus, qui impetum facentia ſunt, reſarcirentur. Hi autẽ reſarciri non poſſunt niſi recentiorum vitaliũ ſpirituum additione. Hac de cauſa in corpore noſtro tenebatur natura deſtinare partem, quæ vitales ſpiritus generaret, & genitos per totũ dimitteret corpus, vt deperditos reſarcire poſſet; ſed hãc nullam aliã, quã cor eſſe putare valemus, quod ſi ſic eſt; ex hoc ſequitur, ſpiritus vitales ſua corporea ſubſtantia procreare cor, quos ſi procreat, procreatricem facultatem continere qui dubitabit? Sexta, & vltima ratio, ex ſtructura cordis haurire valemus. ſi enim diligentiſſime conſideretur cor, videbimus naturæ in ipſius fabrica incredibilem induſtriam, ac dili-

diligentiam. Nam præterquamquod ipsũ alligauit epati, per venam cauã Pulmonibus per arteriã venalẽ,quę partes quodammodo ei inseruire videntur,à quo etiam per arteriam aortam,omnes corporis partes proprium Nectar implorare videntur,habuit etiam à natura duos vẽtres, siue specus,multis foraminibus plenum, duas auriculas, continuũ motum. Et hæc omnia nulla alia de causa facta fuere,nisi vt in corde perfectissimũ ac vitæ necessarijssimum celebretur opus, quod nullum aliud esse possibile est, quam vitalium spirituum procreatio. Sed quoniam dum fit opus necessarium est ibi artificem reperiri; cum artifex spirituum vitalium sit animæ quædam facultas, quæ à medicis vitalis dicitur; concludamus itaque necessarium esse in corde, dum vitales procreantur spiritus,vitalem facultatẽ tamquã in propria sede reperiri.

Quid sit vitalis facultas.

CAPVT QVARTVM.

IAM satis abundè in superioribus à nobis ostentum est, vitalem facultatem,quæ spiritus vitales procreat,residere in corde. Quoniam autem in hoc libro de affectionibus cordis sumus acturi,affectiones autem istæ mediatè, aut immediatè hanc vitalem facultatem lædant, pro exacta harum affectionum cognitione, quid sit hęc facultas, quæ opera; ac ad quod genus animę reduci debeat, inquirere operæ pretium est. Et primum quantum attinet ad vitalis facultatis essentiam. Auicẽna Fen.1.lib.1.doct.6.c.1.eã sic deffinit dicens,vitalis facultatis ea uis est, quæ cum ad membra peruenit, vel à membris recepta fuerit,& ad sensum, & motum recipienda parat, quasi dicat Auicenna vitalis facultas est illa virtus, quæ in corde residens, & à corde per spiritus, quos generat, & in quibus residet, alijs partibus communicata fuerit,ea parat atque disponit, vt sentiant, moueantur, ac alia vitę opera efficiant, contra quam Auicennæ deffinitionem statim aliquis occurrere potest dicens deffinitionem hanc toto cælo à deffinitione vitatis facultatis à Galeno positam sexto,& septimo de placitis Hip. & Plat. pluribus in locis distare, vbi dicit vitalem facultatem eam esse, quæ spiritus vitales procreat. At Auicennas in hac deffinitione de vitalium spirituum

pro-

procreatione, verbum non profert, ergo aut Galenum aut Auicennam hanc virtutem malè deffinire credẽdum: Cui obiectioni facile responsum erit: si dicamus facultatem duobus modis considerari posse, vel quatenùs cordi inest, vel quatenùs à corde ad alias trãsmittitur corporis partes, si consideretur quatenùs in corde, tãquã in teatro, domicilio, ac propria officina recumbit, ibique operatur nil aliud, quã vis, ac quædam animæ facultas est, quæ vitales spiritus, cordi, ac toto corpori necessarios gignit, atque producit cum opera omnia, quæ in corde prodire videntur, ad solam spirituum procreationem, (vt infrà dicemus) intendi videantur, sed si vitalis consideretur facultas totius operis respectu, cui continuo si pandit, cuncta gaudio perfundit, eiusque partes omnes roseo colore suffundit, nil aliud est, quam vis, ac animæ quædam facultas, quæ per spiritus à corde ad ceteras corporis partes transmissa, illa suo viuifico calore parat, ac disponit, vt alias influentes potentias, sensificam scilicet & motoriam, vt probabimus, suscipere valeant, quapropter cum Auicennas eo loci vitalem facultatem; vt influentem definiat. Galenus verò vt insitam, vtramque definitionem approbandam esse putamus. Sed non contentus ingeniosus, vlterius suscitari potest contra hanc Auicennæ definitionem dicens. Ad ossa, & cartilagines peruenit vitalis facultas; attamen ossa, & cartilagines non parat ad suscipiendum sensum, & motum; nam nec sentiunt, nec mouentur, ergo vitalis facultas ea non est, quæ cum ad membra peruenit, & ad motum, & sensum suscipienda parat. Huic instantiæ duobus modis respondere possumus, primo dicẽtes ossa, & cartilagines duplicitèr cõsiderari posse, vel quatenus sũt similares partes, vel quatenùs organicæ, idest integrantes organa. Si considerentur vt partes similares, non sentiunt, non mouentur; sed si considerentur vt organicæ, sentiunt atque mouentur. Secundò respondere possumus, dicentes ossa, & cartilagines ex Galeno libro artis medicæ capite 9. habere tantum facultatem insitam, quæ illa regit, atque gubernat, non influentem; ergo si ad sensum, & motum parari non possunt, nil mirum; cum influentem facultatem suscipere non possint, ergo vitalis facultas ea est, quæ cum ad membra peruenerit, illa ad sensum, & motum parat. Quod autẽ facultas vitalis ea sit, quæ membra ad sensum, & motũ parat, probandum quod superius me facturum promissi, hoc rõne, & exẽplo præstare conabor. Ratio

B huius-

huiusmodi est:si vitalis facultas non esset illa,quæ membra ad motum, & sensum pararet, hoc faceret alia facultas; puta nutritiua, quæ naturalis est, ac ea, quæ vitalem conseruat, cum generet sanguinem,ex quo vitales procreantur spiritus:sed nutritiua, ac naturalis facultas illa non est,quæ membra ad sensum, & motum paret. Ergo vitalis ea erit, quæ membra ad sensum & motũ parat. Minor propositio, quæ erat,nutritiuam facultatem membra ad sensum, & motum non parare duabus rationibus confirmari potest. Prima talis est, si nutritiua facultas esset illa,quę membra ad sensum,& motum pararet,ablata ab illa parte pars illa,statim sensum,& motum amitteret,& iure,cum sit id, quod partem illam,ad sensum & motum suscipiendum, habilem reddit, ac conseruat: sed hac facultate ab aliqua parte ablata, non aufertur sensus, & motus, quod in brachio atrophia affecto satis clarè patet; nam si brachium atrophia afficiatur, & priuetur nutritiua facultate, tũc brachium per illud tempus aliquod ad minimum sentiet, atque mouebitur,etiãsi non nutriatur, sed potius tabescat; quomodo nutritiua facultas ea non est,quæ membra ad sensum, & motum paret,cum sensus, & motus absque nutriente facultate in parte seruari possit: secunda ratio hæc est: si nutritiua facultas esset illa,quæ membra ad sensum, & motum pararet, cum nutritiua facultas insit stirpibus,& plantis,tunc stirpes,& plantæ, sentirent,& mouerentur: sed nec sentiunt,nec mouentur:primo nutritiua facultas,ea non est, quæ membra ad sensum & motum paret. Reliquum est itaque vt credamus,vitalem facultatem causã esse,quæ membra ad sensum & motum parat. Hanc eamdem veritatem paralysis, atrophiæ,ac gangrænæ exemplo confirmare licet. Sit brachium,aut alia corporis pars paralysi affecta,hoc est, à cerebro ad partẽ illam, ob neruorum obstructionem,non feratur sensus,& motus,tunc quæro,an pars illa viuere dicatur necnè; non viuere non est dicendum, cum paralyticæ partes pulsent,spiritu,vitalique calore foueantur, ac perfundantur, quibus si neruorum obstructiones tollantur sentient statim, & mouebuntur ergo viuit: sed si pars illa vitali facultate priuetur, quod succedet in sphacello, vel gangræna tenetur, tunc statim marcescit, sensum,& motum amittet,quæ nõ amittit si naturali priuetur calore; quod de atrophia manifestum est, nam partes atrophia affectæ viuunt, atque mouentur; quo exemplo clarissimum est ad ablationem sensus, & mo-

tus

tus vitalem non auferri facultatem: sed ad vitalis ablationem, vt de atrophia dictum est, auferri non potest, ergo vitalis facultas ea est, quæ cum ad membra peruenit, ea ad sensum, & motum parat.

De numero operationum facultatis vitalis.

CAPVT QVINTVM.

QVoniam autem vitalis facultas animæ quoddam genus est, quod secundum Platonem, quem omnes medici sequuti sunt, residet in corde, vbi suas operationes prodit, quæ cordi, & toto corpori vtilissimę sunt cum operationum numerus omnibus notus non sit, quot facultatis huius operationes sint est inquirendum. Sed quoniam operationes omnes à potentijs fiũt, quæ virtutes quædã sunt, à principali facultate manantes, tot erunt operationes, quot potentiæ sunt, vnde Auctore Auicenna prima primi doct.6. cap.1. sicut per operationes in potentiarum cognitionem, sic per potentias in operationum cognitionem facile deuenire valeamus, hac de re operationum vitalium numerum indagantes idem præstabimus, si quot sint potentiæ ab ipsa facultate vitali generica emanantes ostendemus, qua de re ex multis auctoribus quos vidi, quatuor esse huiusmodi potentias à quibus totidem diuersæ operationes fiunt, tenere valeamus. Prima, ac præcipua est Vitalium spirituum generatrix. Secunda pulsifica. Tertia respiratoria. Quarta irascibilis, his quattuor quidam constantiam: alij timorem, alij gaudium, nonnulli męstitiam, Alij multas Alias, vt Fuchsius 1. institutionum medicinæ sectione 7.cap.4. annectere voluerunt, quæ si recta statera librentur, hæc ad superiores quattuor reduci posse clarissimum est, quid enim constantia est, nil aliud certè, quam potentiæ irrascibilis moderatio; Quid timor, & mæror, quàm genitorum vitalium spirituum simul cum potentia ad intima, ob externa terrifica, subita retractio? Quid gaudium, quàm eorundem spirituum ad extima dispansio? idem de alijs dicere valemus. Agentes itaque de vitalibus potentijs, & earum numero, tantum de quattuor enumeratis verba faciam, rationibusque ostendam, nec plures, nec pautiores esse posse. Sed cum omnibus

notum non ſit, quo ordine, & quomodo antedictæ potentiæ in corde agant, vtile, ac pulcherrimum ſit agnoſcere, & ſcire; antequam harum, quo ad numerum, ſufficientiam probem, de earum operationum ordine verba facere decreui. Et primo de potentia vitalium ſpirituum factrice, in cuius oſtenſione aliarum potentiarum agendi modum contexere conabor: Prima itaque, ac principalis potentia in corde reſidens, quæ alias nobilitate quadam excedere videtur, eſt vitalium ſpirituum generatrix: hæc autem potentia ea eſt, per quam animalia viuunt, calore gaudent, ac opera prodeunt, nam cum continuò in perfectis, ac calidiſſimis animalibus eorum naturalis diſſoluatur calor, niſi ab aliquo integretur, ac reſarciatur, ſenſim ac ſenſim languentes periclitantur, hunc calorem potentia generatiua ſpirituum recreat, ac reſarcit, nam reſidens in corde vitales ſpiritus viuifico calore præditos generat, ac producit, quos toti corpori diſtribuens calidum natiuum reſarcit, ac tandem animalia fouet, atque conſeruat. Quomodo autem potentia hæc vitales ſpiritus, quos Hipocrates libro de corde animam appellat, generet, ac producat: Aliorum opinionibus omiſſis Galeno adhærens, ita agere credendum: Reſidens itaque hæc vitalis potentia in Corde, ac potiſſimum in ventriculo ſiniſtro, vt ſupra probatum fuit, ſi vitales ſpiritus procreare debet, neceſſarium eſt in eodem ventriculo ſiniſtro materiam deportari, ex qua vitales ſpiritus procreari debeant. Hæc autem eſt aer, & ſanguis, vt ſeptimo de Placitis Hipocratis, & Platonis Gal. opinatus fuit, debet itaque ſanguis, & aer ad ſiniſtrum cordis ventriculum mitti, ac deportari, hac de cauſa natura duas alias potentias in corde locauit, quæ huic principali inſeruire debent. Sunt autem hæc reſpiratoria, atque pulſifica, quæ quidem potentiæ ita principali generatiuæ vitalium ſpirituum inſeruiunt, quemadmodum attractrix, retentrix, atque expultrix naturali coctrici inſeruire videntur, nam reſpiratoria potentia ea eſt, quæ in corde reſidens pulmones dilatat, ad quorum dilatationem, ne ponatur vacuum, Aerem externum in interioribus trahit, quem aliquo tempore detinens eum parat, atque diſponit, vt conueniens alimentum, pro ſpirituum conſtructione deuenire poſſit: Hec à ratione putare eſt alienum, potentiam hanc reſidendo in Corde, operationem ſuam in pulmonibus

ali-

aliquantulum à Corde distantibus exercere posse, cum animales potentiæ idem seruent, atque efficiant, quod verum esse, visiua potentia hoc clarè docet, nam omnium medicorum consensu, collocatur in cerebro; attamen quia extra cerebrum partem; ac organum adinuenit, ad suum opus efficiendum, aptissimum, vt puta oculum, in oculo non in cerebro agit, atque videt, sed quoniam satis non erat; aerem in pulmonibus deuenire, & retineri, ac præparari, vt ex eo vitales spiritus procreantur, sed interius in ventriculo cordis sinistro innominari debebat. Hac de causa natura in eodem viscere aliam potentiam locauit, quæ hoc opus efficere deberet; hæc autem est potentia pulsifica, cuius offitium est dilatare, ac constringere cor, eo modo quo vsus postulat, vt per dilatationem, quæ diastole dicitur, à pulmonibus attraheretur præparatus aer, qui est materiæ pars, ex qua vitales procreantur spiritus, quæ quidem materia, cum satis non sit, eodem ferè tempore ab eadem potentia à dextro ventriculo per insensibiles ductus mediastini cordis attrahitur per eamdem diastolem purissimus sanguis, vbi coniunctus aer cum illo tenuissimo sanguine, à natura commiscentur, ac aeris impetus cohibetur; quæ cum sit aptissima materia pro vitalium spirituum generatione, tunc statim vitalis insurgens potentia, mediante quadam temperie loci; quæ partim ex humorum, partim ex similarium, ac dissimilarium cordis partium mixtione oritur, qua vt instrumentum vtitur. Et cum fieri non possit, quin in omni generatione, siue sanguis, siue spiritus, siue deperditæ solidæ partis excrementa gignantur; sic in spirituum generatione duo producuntur excrementa: Tenue, quod fuligo dicitur, & Crassum, quod est purioris sanguinis portio quædam, quæ superfuit, ac remansit in generatione spiritus; hæc cum continuam spirituum generationem turbare possint, hoc natura agnoscens, per eamdem pulsatilem mediante constrictionis motu, qui systole dicitur, pellit, ac extrà ducit fuliginem per arteriam venalem ad Pulmones, ad Nares, & os, vsque quo in exteriori deportetur aere. Pellit etiam sanguinem simul cum genitis spiritibus, qui cordi excrementosi potiùs, quàm pro nutritione necessarij sunt, per arteriam

teriam aortam, ad extimas corporis partes, vt horum ope partes omnes extimæ à corde distantes recreentur, ac viuificentur, quod non fieret, si constrictio, ac systoles non esset. Ex quibus satis clarum est, operationi potentiæ generatiuæ vitalis spiritus Alias duas potentias pulsificam, & respiratoriam, vt famulas deseruire. Sed de irascibili quid dicemus? putarunt quidam, irascibilem non esse cordis potentiam à tribus enumeratis distinctam, quæ ad actum redacta per calorem quemdam cordis intensum ad vindictam moueret: sed putarunt, intensum solum cordis calorem esse id, quod nos ad iram procliuiores reddit, nullo potentiæ interuentu, quam opinionem à ratione omnino alienam putamus, cum sit rationi, & virorum grauissimorum auctoritati aduersa. Rationi quidem; nam si solus calor cordis intensus nos ad iram moueret, omnes febricitantes ira essent correpti, cum tempore febris calor cordis sit intensus; sed febricitantes non irascuntur, sed potius timent; ergo ad concitandam iram non sufficit calor cordis. Distat etiam opinio hec à virorum grauissimorum auctoritate, & Primo Gal. pluribus in locis: Cor irascibilis facultatis locũ esse fatetur idem Plato referente Aristotile 2. de anima ratus est, ergo irascibilis est facultas, & non intensus cordis calor, quod cum sit, erit etiam potentia, cum potentiæ à facultate fluant, & in cor operari valebit, sed quomodo hæc operetur potentia, ac in cor ad actum reddatur dicam quid sentio. Arbitror hanc potentiã irascibilem non agere, vt aliæ tres potentiæ cordis superius dictæ. Nam illæ agunt nobis inuitis, & nescientibus: Hæc agit, & ad actum reducitur dum cognoscimus immeritò contemptum quendam, vel rem immeritam nobis factam fuisse, propterea dicebat Arist. 2. rhethoricorum cap. 2. Ira est appetentia vltionis, cum dolore propter apparentem immeritò contemptum; hanc cognoscentes animo patimur, ac dolemus; sed quia propter animi dolorem, periculum est ne dissipetur naturalis calor, vt conseruetur, totus ad cor fluit; hinc maximus calor, sed non morbosus occupat cor, quo magno calore repleto ferrè statim irascibilis excitatur facultas, quæ nisi à magno calore excitari valet; cuius finis cum sit appositus vindictæ: hinc vt consequi possit quod velit varia opera animalia excitat eaque impetuosè mouet; vndè isti clamant, obscena dicunt, verberant, nihil decernunt, nullo alio fine, vt dictum est, nisi vt vindictam accelerent. Ergo irascibilis est potentia

cor-

cordis,non caloris cordis actio, vt quidam putarunt. Ex his satis clarè patet modus operandi potentiæ vitalis, & huius occasione aliarum etiã potentiarum modus. Veniamus modo ad probandum, vitales potentias esse quatuor,quod superius probandum suscepimus; quod duabus rationibus confirmari potest, & primo sic: quattuor sunt operationes; quæ fiunt in corde; ergo quatuor sunt potentiæ vitales cordis.Probatur antecedens: In corde vitales procreantur spiritus, quod omnes concedunt: Fit Pulsatio,& Respiratio, cum animalia destituta corde non pulsent, neque respirent: Tandem fit ira, quod colligimus, si cor irascenti tangatur, cum à naturali motu omninò mutatum sentimus. Ergo quattuor esse cordis potentias non est dubitandum. Secunda,& vltima ratio huiusmodi est;si non essent quatuor potentiæ cordis, essent, vel plures, vel pautiores: Plures esse non possunt; cum omnes aliæ potentiæ, quæ potentię cordis esse videntur, vt constantia,Timor, Mæror, Gaudium, ad hæc quatuor reducantur, (vt supra dictum est.) Non pautiores,quia aut essent vna, vel duæ, aut tres; si vnam tantum dicamus, vt spirituum vitalium creatricem,in corde non sentiretur pulsus,respiratio, Ira; sic si essent duæ, vel tres defficientium opera non sentirentur, ac apparerent in Corde: sic cor non pulsaret, non respiraret, non irasceretur: sed impossibile est aliqua ex dictis opera separari à corde: ergo quatuor, nec plures, nec pautiores esse potentias cordis est tenendum: Ex quibus quattuor iam dictas operationes emanare videntur. Sed antequam huic capiti finem imponam, errorem quendam Aristotilis circa cordis pulsum notare intendo, eumque euertere, ac explodere: Vult Aristotiles lib.de iuuentute,senectute,Morte,Vita,& respiratione pulsum non fieri à potentia pulsatili,vt superius dictum est,sed partim à calido,partim à frigido: nam diastolen à sanguinis ebullitione fieri putat, Systolen à frigidi aeris appulsu quod aquæ illustrat exemplo, dicens, tumet aqua, ac maiorem locum occupat,dum efferuescit: Cui si aer frigidus insufletur,detumescit, ac decrescit; sic & pulsus: sed pace tanti viri, à vero recedere videtur. Primo quia si dilataretur cor, quia à caliditate extenderetur ad Vtrium similitudinem, cor dilataretur; quì vtri dilatantur, quoniam replentur: At omnes medici volunt dilatari cor ad similitudinem fabrilium follium, quì dilatantur quando vi aliqua mouentur. Ergo cor à caliditate dilatari non valet, sed tantum à virtute pulsifica;

sic

sic si consti ingereretur, quia refrigeraretur, opus esset, vt constrictionis tempore Aer frigidus ingredi posset in Cor:at tempore constrictionis Aer non ingreditur cor,cum tunc stringatur,ac comprimatur:ergo cõstrictio à frigido fieri non potest:sed ab hac facultate,vel corporis grauitate eadem, vt Asclepiades, & alij putarunt. Vlterius si à solo calido dilataretur cor,semper varij essent pulsus,cum sanguinis ebullitio semper eadem non sit; nam nunc maior, modo minor pro vario sanguinis concursu fit:sed pulsus per multum tempus ad minimum idem est,ergo Aristotelis opinio, quæ nostram destruere videbatur, est explodenda. Tandem Aristotelis opinionem; quo ad cordis dilatationem falsam esse,experimentum à Galeno propositum libro quod sanguis in arterijs contineatur cap. vltimo apertissimè demonstrat, vbi dicit immittatur fistula in arteriam,& ligetur pars arteriæ,quæ est inter ligaturam, & cor pulsabit, quæ à ligatura est infra non pulsabit, etiamsi sanguine feruenti plena sit,ergo à sanguinis ebullitione arteriarum pulsus non fit:sed à pulsatili potentia,vt dictum est.

An cordis, & arteriarum motus idem sit, vel diuersus.

CAPVT SEXTVM.

TRia de facultate vitali in superioribus inquirenda proponebamus; quid sit,quot eius opera sint, ac ad quod genus animæ reduci debeat.Absolutis primis duobus,de tertio restat inquirendum,sed quoniam in superiori capite dictum est,Potentiam pulsificam, quæ per dilatationem,ac cõstrictionem agit reperiri in Corde: Cum sensus nos clarissime doceat, eandem pulsificam potentiam in arterijs reperiri, cum arteriæ dilatentur,ac constringantur: Aliquis dubitare posset, an pulsatilis arteriarum,idem cum pulsatili cordis sit,necne:& si idem est, an ad dilatationem cordis dilatentur arteriæ, & ad cõstrictionem cordis constringantur; An contra dilatato corde constringantur arteriæ, vel constricto dilatentur, Antequam ad hoc tertium caput accedam, vt quærentis animus quiescere possit, ambiguitates has declarare decreui,& primo primam,mox & secundã. Quod ad primam attinet, sum huius sententiæ, vnam & eandem esse potentiam pulsatilem cordis, & Ar-

& Arteriarũ, quod duabus rationibus, & tantundẽ experimentis probari poteſt. Prima ratio talis eſt:ſi læſo pulſu cordis, lædatur arteriarũ pulſus, credendum eſt, idẽ eſſe cordis, & arteriarum pulſum;aliter læſo vno,ex neceſſitate non læderetur alter: Sed læſo pulſu cordis, læditur arteriarum pulſus; ergo idem eſt cordis,& arteriarũ pulſus. Aliter probatur; in præfocatione vteri tollitur ad minus quo ad ſenſum pulſus cordis, ſed ſi eodem tempore tangantur arteriæ earũ non perſentietur pulſus,vt quotidie experimur; ergo idem eſt cordis,& arteriarũ pulſus: Secunda ratio talis eſt. Partes omnes principes per orientia à principibus aliquam facultatem toti corpori cõmunicant: ſic cerebrũ per neruos Animalem; Iecur per venas naturalẽ;Cor per arterias vitalem; ſed animalis, quæ eſt in cerebro, eadem eſt cum animali neruorum, & non alia: Sic naturalis in iecore eadem eſt cum naturali venarũ, ergo & vitalis,quæ eſt in Corde, cuius pars eſt pulſifica, eadem cum arteriarum pulſifica erit. Idem experimentis cõfirmari põt. Primo à Gal.colligitur in lib.quod ſanguis in arterijs contineatur ante citato c.8., vbi dicit arteria inuenta per longitudinẽ aperiatur, & aperta in eã calamus, vel fiſtula immitatur, & ſuper fiſtulã filo ligetur,quod facere nõ eſt difficile: Hoc peracto videbimus partẽ cordi continuã pulſari, quæ vero à corde ſeiũgitur non pulſari: ſi ergo diuerſa eſſet arteriarũ pulſatilis à pulſatili cordis,pars infra vinculũ,& per vinculũ quodãmodo à corde ſeparata pulſaret;ſed nõ pulſat,vt experiẽtia à Gal.facta docet; ergo cordis,& arteriarũ pulſatilẽ vnã, & eandem eſſe tenendum. Aliud experimentum, ex vulnerum curatione colligitur. Vidi ego in magnis vulneribus quandoq; arteriã ſatis vaſtã totam tranſuerſam inciſam, quæ 10, ac 12. ſanguinis libras regurgitauit, tunc tẽporis arteriã in ſuperioris vulneris parte, ac inferiori tangens, ſemper percepi in ſuperiori parte ingentiſſimũ ictũ,in inferiori quietẽ, ac nullum adeſſe arteriæ motum. De hoc eodem volui ab anatomicis noſtri temporis me certiorẽ fuiſſe factum,quod cũ verè factũ ſit, cõcluditur in hoc certiſſimũ eſſe,arterias à ſe nullũ habere motũ, ſed totũ eis à corde impartiri, & cõmunicari. Aliter arteria infra vulnus, vt ſupra vulnus pulſaret, ex hoc ſatis clarè patet,vnã,& eandem eſſe, cordis & arteriarum pulſificam potentiam.His omnibus pro maiori meæ opinionis confirmatione tãquam corollariũ addo auctoritatẽ clariſſimã Gal. lib. de pulſib. ad Tyrones

cap. 1. in initio, vbi habet hæc formalia verba. Igitur omnes inter se arteriæ, & Cor; habent eandem pulsandi rationem, vt suprà etiam probauimus.

An dilatato corde dilatentur Arteriæ, & constricto constringantur, vel contra.

CAPVT SEPTIMVM.

Ostenso in superiori capite, vnam, & eandem cordis, & arteriarum esse potentiam pulsatilem. Nunc secundum, quod inquirendum proponebatur indagamus. Est autem hoc, an dilatato corde simul etiã dilatentur arteriæ, & constricto constringantur; an contra dilatato corde constringantur arteriæ, & constricto dilatentur: Circa ambiguitatem hanc, duas extare opiniones inueni: Prima est Erasistrati referente Galeno quarto de differentijs pulsuum cap. 6., qui vult dilatari arterias, quo tempore cor constringatur, & constringi cum dilatatur, quam sententiam ex Neotericis secutus est Ioannes Fernelius lib. 6. in fine capitis 18. vbi habet, dilatari arterias dum compressum cor in eas spiritum immittit, constringi vero dum dilatatur; hanc eamdem sententiam secutus est Realdus Columbus lib. 7. vbi aut de anatome cordis, & arteriarum, quando dicit: mouetur enim arteria continuò, non per se, sed propter spiritus: Idem Scaliger, & Cardanus crediderunt, quam opinionem cum Hipocratis, & Galeni auctoritatibus confirmare non possent, quatuor rationibus illi confirmare eam tentarunt: Quarum prima talis est. Dilatatio, & constrictio sunt contraria; sed in dilatatione Cordis trahit cor sanguinem à vena caua, aeremque ab arteria venali, quibus repletur, ac extenditur in constrictione spiritus per Aortam arteriam, sanguinem per venam arterialem, fuliginosum aerem per arteriam venalem pellit, atque detrudit: sed dum trahit à vena caua, & arteria venali, eas inanit, atque euacuat; cum contrariorum eadem sit disciplina, ex necessitate sequitur, quod dum pellit spiritus ad aortam arteriam, ac alia vasa, illa tendit, implet, atque dilatat: sed in systole cor ad aortam arteriam spiritus pellit, ergo illam implebit, ac dilatabit, & sic ad constrictionem cordis, dilatantur arteriæ Secunda hæc est; Ita se

debet

debet habere de motu cordis,& arteriarum orientium à corde, sicut se habet de motu cordis; & Auricularum; Cum etiam ipsæ oriantur à Corde: sed dum dilatatur cor; constringuntur, ac subsident auriculæ cordis; dumque constringitur cor auriculæ dilatantur, ergo pariter dum dilatatur cor,constringentur arteriæ,& dum constringitur dilatabuntur. Tertia ratio talis est,dum dilatatur cor, breuius redditur, arterias que sibi continuas à se trahit, easque angustiores, & lōgiores reddit;dum constringitur elongantur arteriæ,breuiantur,ac dilatantur; si cor spiritus ad arterias mittit, quemadmodum omnes concedunt, eo tempore mittere debet,quo tempore arteriæ faciliùs accipere possunt: sed faciliùs accipere valent, dum constringitur cor quo tempore arteriæ in semetipsas redactæ dilatatæ manent, quam dum attollitur, quo tempore angustantur, ergo eo tempore spiritus à corde ad arterias mittentur,quo tēpore constringitur cor,& dilatantur arteriæ. Quarta, & vltima ratio si ad dilatationē cordis dilatarentur arteriæ, cum dilatatio trahat,constrictio expellat: sequeretur, quod sicut in dilatatione cor trahit à partibus proximis sanguinē, & aerem; Ita Arteriæ aliquid traherent à corde ei proximum. Sed arteriæ dum dilatantur à corde propter ostiola attrahere non valent; quia ostiola impediunt cum arteria Aorta ccc i habeat ostiola,quæ intus aperta sunt foris clausa, quæ permittunt, cor spiritus mittere ad Aortam, & misso amplius non remanere in cor.Ergo ad dilatationem cordis non dilatantur arteriæ.Hę horum sunt rationes, qui putarunt diuersum esse cordis, & arteriarum motum: Aliam sententiam habuerunt Herophilus: Aristotiles, Galenus, Auicennas, quos secutus est Franciscus Valesius tertio libro suarum controuersiarum medicinalium cap.3., quì omnes arterias simul cum corde dilatari, ac constringi crediderunt: hoc voluisse Herophilum apertissime patefecit Galenus quarto de differentijs pulsuum cap. 6., Aristotiles etiam se hãc habuisse opinionem patefecit lib.de iuuentute, senectute, morte, vita, & respiratione cap. decimoquinto, quòd est vltimum illius libri,vbi dicit; & pulsant venæ omnes, & simul inuicem, eo quod appenduntur ex ipso corde; mouetur autem cor perpetuò;quare & ipsæ semper,& simul;vbi per venas Aristotiles arterias intelligit. Galenus eandem patefecit sententiam, non solum lib., & locò antecitato, sed etiam in libello de vsu pulsuum, & sexto de vsu partium:

tium: Auicennas idē testatus est secunda primi cap.6., vbi habet, Arteriæ non secundum modum dilatationis, & constrictionis cordis, sed secundum proprium arteriarum corpus mouentur: Supple, vt cor mouetur, quæ opinio rationibus, & experientijs confirmari potest. Rationes hæ sunt. Prima, si cor, & arteriæ eodem tempore, ac eodem motu, non mouerentur. Sequeretur, quod dilatato corde constringerētur arteriæ, & constricto dilatarentur: Sed si dilatato corde constringerentur arteriæ, sequeretur cor trahere vitalem spiritum ab arteria Aorta; nec inconuenit, cum ostiola in constrictione arteriæ non eleuentur, sed subsideant, ac occultentur, vnde facile cor haurire potest: Sic si constricto corde, dilatarentur arteriæ, Aorta arteria vitalem spiritum à corde recipere non posset, cum dilatata arteria claudantur ostiola; sed hæc impossibilia sunt, cum cor continuo in Aortam mittat, ac missum, vt omnes anatomici fatentur, amplius non reassumit ergo eodem tempore, & eodem motu cor, & arteriæ moueri debent. Secunda, in naturaliter mouentibus nullus mouens eodem tempore ad oppositas locales differentias mouere potest, vt in physicis Aristotiles probauit. Si vitalis facultas, quæ cor, & arterias naturaliter mouet, quæ vna & eadem in omnibus est, vt superius probatum est, eodem tempore quo constringitur cor dilataret arterias, vel è contra, eodem tempore moueret mobile ad locales differentias oppositas: scilicet sursum, & deorsum; nam dum dilatat mouet sursum, dum constringit deorsum, quod cum naturæ repugnet, credendum est ad dilatationem cordis dilatari arterias, & ad constrictionem constringi. Tertia, & vltima ratio hæc est: Quæ ab vno, & eodem mouente mouentur, ac propter vnum, & eundem finem mouentur, vno & eodem motu moueri debent. Aliter vnus mouens pp vnum finem moueret diuersis motibus, quod per Philosophū inconuenit. Sed cor ab eadem pulsatili dilatatur, & constringitur, sic Arteriæ dilatantur, & constringuntur, & propter eumdem finem, qui est nutritio spirituum, eorumdem temperies, ac fuliginum purgatio, ergo vno, & eodem motu moueri debent: & sic dum dilatabitur cor, dilatabuntur arteriæ; & dum constringetur constringentur. Hanc eandem opinionem veram esse duabus experimentis confirmari potest. Primū ex tactu desumitur, quod experimentū, vt dicebat Gal., quisq; in se ipso, ac in alijs facere valet: Apponatur vna manus pectori, altera ar-

rijs carpi, sentietur vtrobiq; similis dilatio, & constrictio. hic aliud addi potest, quod ex viuorum anatome depromitur. Si enim cor, ac nudas arterias in viuorum anatome inspitiamus, videbimus, dum dilatatur cor, dilatari arterias, & dũ constringitur constringi. Ex quibus rationabiliter teneri potest, cor, & arterias eodem motu moueri, cui sententiæ ego adhæreo, quapropter hac veritate concepta rationibus in contrarium adductis sati sfacere non erit difficile: Propterea ad primam, cum dicebatur in minori propositione, cor dum trahit à vena Caua, & arteria venali, eas inanit, atque euacuat toto cęlo abertat, nam cor dũ trahit à vena caua, & arteria venali, eas non euacuat, cum continuò vena caua propter iecoris continuitatẽ sit sanguine turgens, & arteria venalis aere plena; nam cum pulmonibus adhæreat, eam quanto à corde euacuatur tanto replent, & sic huius primæ rationis minor propositio ruit, qua ruente tota argumentatio cadit. Ad secundam respondere possumus dicentes, non ita se habere cor ad arterias, sicut se habet ad auriculas cordis: nam cor per arterias expellit, Vlterius arteriæ dilatantur, quia à facultate extenduntur; auriculæ dilatantur, quia replentur ad similitudinem vtris, ergo non ita se habet cor ad arterias, sicut ad auriculas: si sic est, non valet consequentia dum constringitur cor dilatantur auriculæ, ergo dum cõstringitur cor dilatantur arteriæ. Falsa itaq; ac nihil cõtra nos est 2. rõ. Ad 3. dicere possumus, verũ esse dũ dilatatur cor, quod breuius redditur, & dum constringitur, elõgatur; nõ sequitur tamen dum breuius redditur, arterias elongari, ac angustari; sic non valet dicere, dũ constringitur elõgatur, Arteriæ breuiãtur, ac dilatantur: Cũ arteriæ quo ad motũ sursũ, ac Deorsum propter sua ligamenta sint immobiles, vnde dato, quod cor elongari, ac abreuiari possit; Arteriæ tamen immotæ manent: Ex quo sequitur falsum esse, quod argumentũ concludit: Ad 4. & vltimam rõnem cũ dicebatur: si dũ dilatatur cor dilatarentur arterię, sicut in dilatatione cor trahit, ita eodẽ tẽpore, attrarent arteriæ, sed arteriæ à corde attrahere non possunt propter ostiola, quæ dũ dilatatur cor clauduntur. dico dum dilatantur arteriæ, ipsas trahere, & si nõ attrahũt à corde, attrahunt tñ à totius corporis ambitu aerẽ, quo implentur, ac dilatantur, cũ corpora transpirabilia existãt, quod hoc verũ sit Herophilus loco antecitato his verbis patefecit, qm̃ dicit, Quia Arteriæ sunt cũ corde cõtinẽtes, per tunicas influere ab illo vim,

cuius



cuius ope perinde, atque cor, dum distenduntur, ex omnibus partibus vnde possint, attrahunt, quod impleturum suam capedinem sit, dum contrahuntur attrahunt, ergo cor, & arteriæ eodem motu, ac eodem tempore mouentur:contra illa, quæ hactenus probata sunt, ingeniosus aliquis dicere potest; si dum constringitur cor constringerentur arteriæ, Vitales spiritus accipere non possent;nam vt possint per arterias vitales permeare spiritus, opus est vt sint apertæ, & patentes, in constrictione clauduntur,constringuntur, ergo videtur tunc temporis spiritus à corde recipere non posse: dico dum arteriæ constringuntur, non ita constringi,vt subsident,ac nihil recipere possint, sed solum aliquantulum constringuntur; vnde etiamsi constringantur, in eis aliqua seruatur qualitas cauitatis, vel cauitas, qua seruata vitales spiritus accipere possunt, & eo potissimum cum ipsi tenuissimi ac ferè imperceptibiles sint.

Ad quod genus Animæ reducatur vitalis facultas.

CAPVT OCTAVVM.

PRo exacta vitalis facultatis cognitione tria capite quarto huius operis inquirenda proponebantur;quid sit;qualia eius opera sint; & ad quod genus animæ reduci debeat, duobus prioribus absolutis: nunc ad tertium accedamus,ac ostendamus,quod genus animæ sit hęc vitalis facultas, quod idem est, ac si dicamus, ad quam potentiam animæ vitalis virtus sit reducenda, cum potentiæ à facultatibus non excernantur, quæ animæ potentiæ contentorum respectu genera sunt; quapropter potentias animæ enumeremus, ac deinde ad quam vitalis reduci possit inquiramus. Arist. 2. de anima textu 27. quinque animæ potentias enumerat: Vegetatiuam: Appetitiuam: Sensitiuam: secūdam locum motiuam,ac intellectiuam.Cum hæ sint animæ potentiæ per Aristotilem eo loci,nec plures,nec pautiores, Videamus modò ad quam potentiam ex enumeratis vitalis virtus reduci debeat. Ad intellectiuā reduci non potest;nam intellectiua potentia agit per cognitionem; vitalis absq; cognitione,& vt vsus requirit: minus ad motoriā, etiamsi vitalis potentia perenni motu cor ipsum agitet, atque moueat; nam moto-

motoria potentia, vt testatur Aristotiles secundo de anima textu 54., corpus mobile mouet, à re appetibili excitata, sẽsu, vel intellectu imperante instrumentis inseruientibus: At sensus motui cordis imperare non valet, quemadmodum experientia docet, ergo ad potentiam motoriam vitalis virtus reduci non potest. Viterius potentia motoria non agit necessario, sed liberè. At vitalis, vt pulsatilis necessario agit, & vt postulat vsus, ergo ad motoriam reduci non valet, accedit, motoria potentia fatigatur tandem, ac intermittit: At vitalis animale viuente, numquam intermittit, ergo ad motoriam reduci non potest. Sed de sensitiua quid dicemus, clarissimum est ad potentiam sensitiuam reduci non posse; nam sensitiua sentit, vidit, audit, olfacit, gustat, imaginatur, At vitalem potentiam his omnibus carere certissimum est, Accedit, potentia sentiens semper est cum cognitione obiecti: Vitalis omni cognitione priuatur. Tandem potentia sentiens in somno ligatur, & ab opere quiescit; Vitalis per somnum in opere validior existit, ergo vitalis potentia ad sentientem reduci non valet: Minus ad appetitiuam reduci potest; nam appetitiua potentia, de qua ibi loquitur Aristotiles, sequitur sensum, & potissimum sensum tactus, cum sit inclinatio, & appetitus prosequendi dulce, ac delectabile cognitum per sensum, tristе, ac dolorosum fugiendi: at vitalis potentia, quemadmodum alios sensus à tactu, ita quemlibet tactum ignorare videtur. Reliquum est itaque, vt credamus vitalem potentiam ad vegetabilem esse reducendam: sed quoniam vegetabilis potentia tres alias particulares potentias, spetie distinctas sub se continere videtur, vt colligitur ex eodem Aristotile lib. antecitato à textu 27. vsque ad textum 44., quæ sunt generatrix, Nutrix, & Augumentatrix, quas potentias Auicennas prima primi doctrina 6. cap. 1. naturales appellat: Sicut etiam naturales appellat quattuor alias potentias, quæ his tribus subministrare videntur, quæ sunt Attractrix, Retentrix, Concotrix, & expultrix, quas eo loci Aristotiles reticere potius, ac supponere, quam memorare videtur: si ergo Vitalis ad Vegetabilem, quæ, vt apparet, naturalis est, reducitur, ad aliquam ex enumeratis reduci debet, nimirum generatricem, Nutritricem, Augumentatricem, Attratricem, Retentricem, Coctricem, ac expultricem. Ad generatricem vitalis virtus rẽduci non potest, nam generatrix ad spetiei conseruationem conducit, partum

ex superfluo sanguine deducto ad testes, procreando semen, partim in vtero latum, menstruo concurrente, cum leniendo, distinguendo, formando, habiles reddit mares, ac feminas ad spetiei conseruationem procreandas. At vitalis potentia semen non generat, genitum non format, spetiem non seruat. Sed spiritus vitalis procreans sola indiuidua fouet, atque conseruat. Sed de nutritiua potentia quid dicemus? sum huius sententiæ virtutem vitalem ad nutritiuam reduci non posse, nam nutritiua potentia illa est, quæ deperditum in partibus solidis resarcit. At vitalis potentia, etiãsi vitales spiritus deperditos renouet, atque producat, propriè tamen dicere non valemus, eã solida nutrire: cũ geniti spiritus nec solidi sint, nec cũ reliquo corpore continuitatem habeant. & licet Hipocrates lib. de alimento generationem spirituum, nutritionem appellauerit, hoc impropriè dixisse putandum: nam cum ex genitis spiritibus sentiatur anima refici, ac recreari, refectione scilicet proprij instrumenti, hac de causa generationem spirituum impropriè nutritionem appellauit. Minus ad auctricem reduci valet, nam si vitalis virtus ad auctricem reduci posset, huius virtutis particulares potentiæ ad eandem auctricem reduci deberent, vt puta vitalium spirituum procreatrix: Sed si vitalium spirituum procreatrix ad auctricem reduceretur, hoc autem esset respectu spirituum, ita quod generatio spirituum esset auctio, aut respectu solidarum partium, ita quod ex ipsis genitis solidæ augerentur partes; non potest esse spirituum respectu, nam quæ augentur Primò de generatione, & corruptione tex. 34. fiunt maiora: si generatio spirituum, esset auctio, cum semper corpore viuente fiat spirituum generatio, semper augerentur spiritus, in maiori quanto: his auctis homines semper vsque ad vitæ extremum essent viuidiores, & robustiores, sed hæc non apparet, ergo generatio spirituum non est auctio, si sit auctio respectu solidarum partium, quia ex spiritibus genitis augeantur solida: sequeretur quod sicut solida, dum vero nutrimento augentur, secundum omnes dimensiones, & figuram augentur. Ita si spiritus augerent solida, eadem solida augerentur secundum omnes dimensiones, & figuram: Sed spiritus non habẽt, dimensionem, nec figuram, cum inuisibiles, ac ferè incorporei sint, ergo solidarum auctionem facere non possunt. Concludamus itaque, virtutem vitalem ad naturalem augumentatiuam reduci non posse: Reliquum

quum itaque est, vt credamus, vitalem virtutem cum subiectis potentijs ad quatuor naturales inseruientes potentias reduci posse: Quod verum esse particulares vitalis virtutis potentias libremus, quæ sunt: Vitalium spirituum procreatrix. Pulsifica Respiratoria, Irascibilis. Et primo quantum attinet ad Vitalium spirituum creatricem, certissimum est, potentiam hanc ad naturalem coctricem reduci posse: quid enim est vitales spiritus procreare? nil aliud certè, quam aerem, & tenuiorem sanguinis partem, quo ad partes humidas, & siccas à calore naturali cordis optimè permiscere, humidumque excrementitium resoluere, atque illas incrassare, quod nihil aliud est, quam coquere, vt quarto metheororum cap. 2. Aristoteles putauit: Ergo potentia generatiua spirituum ad naturalem coctricem reduci, est credendum, Sic pulsifica potentia, ad naturalem attractricem, & expultricem reduci posse ratione tenere valemus, quid enim diastole est? nil aliud certè, quam sanguinis, & aeris in ventriculo cordis sinistro attractio. Quid systole? nil aliud quam genitorum spirituum, ac exuberantium fuliginum expulsio. At in viuente, & sano corpore, nil aliud continuo trahere, ac expellere potest, quàm naturales inseruientes virtutes, ergo pulsifica potentia naturalis est. Sed de irascibili, quid credendum? putamus irascibilem potentiam ad Attractricem, Expultricem, retentricemque cordis referendam esse; quod probamus, nam cum in ira, vt superius dictum est, vitales spiritus cum sanguine ipso moueantur, ac concalcentur in cor, quæro à qua nam causa spiritus isti simul cum sanguine moueantur in cor? non est credendum à proprio eorum naturali motu prouenire posse, nam cum animati non sint, hoc præstare non possunt; ergo credendum est, eos moueri ad Cor, aut ab ipso acti actos, aut à toto corpore ad ipsum expulsos, sed attrahere, & expellere in sano corpore viuente solius naturalis facultatis est actio; ergo clarum est, iram naturalis facultatis attractricis, & expultricis actionem esse; quæ si longo tempore protrahatur tenendum est in hoc opere retentricem facultatem partem habere. Has autem dictas naturales facultates inseruientes residere in corde, tria villorum genera, quæ in illo apertissima cernuntur, certissimam fidem facere valent. Hi autem sunt

 recti,

recti, obliqui, atque transuersi; qui villi naturalium facultatum Attractricis, Recentricis, expultricis instrumenta sunt. si verò naturalium facultatum instrumenta sunt in corde, credendum est; in eodem naturales facultates reperiri: Sed quoniam de respiratoria potentia non ita clarum est, an naturalis, vel animalis sit, restat, vt de hac quoque disseramus, quod facere decreui in sequenti capite.

Quibus medijs inspiratio, ac expiratio in perfectis animalibus fiat.

CAPVT NONVM.

Dilucidè à nobis in superiori capite ostensum fuit, ad quod genus animæ Potentia vitalium spirituum, Generatrix, Pulsifica, ac Iracibilis, quæ omnes vitales potentiæ sunt, reduci possint. Pro harum potentiarum absoluta tractatione, restat modò, vt de respiratoria potentia, quæ & ipsa vitalis est, idem quæramus, sed quoniã scire, ac cognoscere, quibus medijs inspiratio, ac expiratio à potentia respiratoria fiat, huic cognitioni lumen aliquod afferre valet, antequam de respiratoria, an naturalis, vel animalis sit quæramus, prius quibus medijs in perfectis animalibus inspiratio, ac exspiratio fiat dicamus. Qua in re sciendum, inspirationem, ac expirationem à respiratoria potentia ob duos effici fines teste Hipocrate lib. de natura pueri, & Galeno lib. 8. de vsu partium capite secundo: Primus est caloris natiui conseruatio: Secundus est vtrorumque spirituum vitalium, & animalium generatio. Nos ostendentes, quomodo inspiratio, ac expiratio fiat, hoc explicabimus in natiui cordis caloris respiratione, ostendentes quibus medijs respiratoria potentia, dum natiuum cordis calorem conseruet, agat, & operetur: vnde notare debemus, si respiratoria potentia calidum natiuum cordis conseruare debet, cauere debet eum in extraneum abire, ac suffocari: Sed in extraneum abire nullo meliori modo prohiberi valet, nisi refrigerando, cum calidum frigido moderato alatur, & conseruetur ex Hipocrate libro ante citato: suffocari autem nullo meliori modo vitari potest, quàm imminuendo, ac expellendo. Hac de causa respiratoria potentia in corde locata aerem frigidum externum trahit in Cor, vt ipsius benefitio naturalis calor euē-
tetur,

tetur, & conferuetur, ac eundem attractum secum, cùm fuligines contentas ne suffocetur, depellat, atque detrudat; quæ quidem potentia, nisi irritata ad suum opus incoandum mouetur. Quod opus me iudice his medijs perficere arbitror: Consideremus respiratoriam potentiam post expirationem, certum est hoc tempore hanc potentiam quiescere, nihil agere, dum non agit Cor, non refrigeratur, ex necessitate ipsius calor intenditur, cum periculo ne in igneum vergat: hoc aucto statim respiratoria irritatur potentia: hac irritata frigidum intus trahit, quod vt commodè ingredi possit, inspirando pulmones dilatat, quos cum liberè dilatare non valeat ob durum circumiacentem thoracem simul ac semel ope sexaginta quinque musculis partim abdominis, partim Thoracis dilatatur thorax, quo aperto, ac dilatato eodem ferè tempore, ne ponatur vacuum, externus aer ambiens in tracheam arteriam, ac pulmones trahitur, vbi quodamodo præparatur à pulmonibus, & trachea eo tempore aere plenis, per arteriam venalem à corde per diastolem attrahitur, quo attracto, statim vitalis temperatur calor, ac ne igneus euadat euitatur, quæ aeris attractio, inspiratio dicitur, & respiratoriæ potentiæ actio est. Hac inspiratione facta, quoniã continuo à corde vapor fumidus ex oritor, à contentis in Cor eleuatus, periculum erat, ne tempore mediæ quietis, quæ est post inspirationem, & ante expirationem, partim à superfluo aere, quì continetur in corde, ac spirituum generationẽ non ingreditur, partim à vapore fumido genito in corde, ac in eodem retento suffocaretur per oppressionem naturalis calor. Denuò, ac ferrè statim eadem respiratoria potentia, exspiratione insurgit, musculos laxando, pulmones comprimendo, benefitio cuius fumidum vaporem cum superfluo aere à corde per systolem ad pulmones expulsum, ac in eis retentum, ad tracheam arteriam, laryngem, os, & nares expellitur, vsque quo extra corpus feratur, cuius aeris, ac fumidorum vaporum expulsio expiratio dicitur, quæ pariter respiratoriæ potentiæ creditur actio, quibus actionibus durantibus respiratoria potentia calidum natiuum fouet, atque conseruat: eodem ferrè modò respiratoria potentia circa pulmones, ac Thoracis musculos, dum secundum finem consequitur, quì est vitalium, & animalium spirituum generatio, agit, ac operatur. Ex quibus satis clarè patet, quibus medijs inspiratio, ac exspiratio fiat: Sed hic occasione

capta ab his, quæ de respiratione adhuc dicta sunt, Aliquis quærere posset; cur animalia perfecta aquam non inspirent, sed aerem solum, cum aqua sua frigiditate ita calorem cordis, vt aer temperare possit. Huic respondens dico, hoc factum fuisse, quia dum inspiratione dilatantur pulmones ne detur vacuum statim aliquo impleri debent: At quia ob sui grauitatem, non ita facile, vt aer pulmones permeare valet, ergo animalia perfecta aerem, & non aquam inspirant. Vel dicere possumus, quod perfecta animalia, vt homines, equi, non degunt in aqua, sed in aere, ergo aerem, & non aquam inspirare debent. Huic vlteriùs etiam responderi potest dicendo, inspirationem, & expirationem cito fieri: At etiam si cito ingredi possit aqua in perfectis animalibus, non ita cito egreditur, ergo aerem, & non aquam perfecta animalia spirare debent: Nos autem notare debemus, quod etiamsi inspiratio, ac expiratio in pulmonibus, trachea arteria, ac larynge fiat, potentiam tamen respiratoriam in pulmonibus residere non est tenendum, sed in ipso corde, vbi residendo imperat, ac quodammodo incipit motum dare pulmonibus; qui dum moueri incipiunt, statim sequitur thoracis motus, & vera fit respiratio. Hac vnica quidem ratione, quia animalia destituta corde per Aristotilem, & Galenum in comentario libri de salubri dieta non respirare, sed transpirare dicuntur.

An inspiratio, & expiratio naturalis, vel Animalis potentiæ sit actio.

CAPVT DECIMVM.

PRo exacta vitalis facultatis cognitione erat, vt de respiratoria potentia loqueretur, & cum supra de ea aliquid dictum sit, restat vt quæramus an ipsa ad naturalem, vt aliæ tres supranominatæ potẽtiæ, an ad aliud potentię genus reduci debeat. Sed qm̃ hoc quærere, idẽ est ac si quæramus, an inspiratio, & expiratio à potẽtia naturali, an ab alia, vt puta animali fiat, ac producatur: Cum omne, quod reducitur ad aliquod, causetur ab illo, quærentes ad quod genus animæ respiratoria potentia reduci debeat, idem erit si quæramus, ac cognoscamus, an inspi-

inſpiratio, & expiratio à naturali, vel animali potentia fiat, qua in re duas extare opiniones inueni: Prima eſt Ariſtotelis in libro de iuuentute, ac ſenectute, vita morte, & reſpiratione, quam opinionem ſecutus fuit in commento Auerrhoes, & alij plurimi, qui voluerunt inſpirationem, & expirationem à ſola naturali potentia fieri, ac conſeruari, quod multis rationibus ipſe, & ſectatores confirmant, & prima talis eſt. Inſpiratio eſt aeris attractio, expiratio eſt aeris expulſio; attrahere, & expellere; eſt naturalis facultatis actio, ergo inſpiratio, & expiratio à ſola naturali potentia fiet. Secunda, illa eſt naturalis potentiæ actio, quæ cohiberi non poteſt, vt de chylificatione manifeſtum eſt; At inſpiratio, & expiratio in ira, ardenti febre, Orthopnea, ac aſthmate cohiberi non poteſt, nam velimus nolimus reſpirari coacti ſumus, ergo inſpiratio, ac expiratio à naturali potentia fiet. Tertia, naturales potentiæ numquam ociantur, at inſpiratio, & expiratio, nunquam ociantur, cum non ſolum in vigilijs, ſed etiam in ſomnis agant, ergo inſpiratio, & expiratio à naturali potentia fiet. Quarta naturales actiones abſque electione fiunt, vt de chylificatione, & nutritione manifeſtum eſt: At inſpiratio, & expiratio abſque electione fiunt, vt in ſomnis manifeſtum eſt, ergo inſpiratio, & expiratio ſolius naturalis potentiæ erit actio. Quinta, in caro, apoplexia aufertur ſenſus, & motus; quapropter dicebat Alexander lib. 1. cap. 16. loquens de apoplexia: Apoplexia eſt totius corporis ſenſus, & motus ablatio, cum principis animæ functionum noxa: ſed in caro, & apoplexia motus reſpirationis ſeruatur, vt experientia docet, ergo reſpiratio à potẽtia animali, quæ vt ligata manet, fieri non valet, fiet itaque à naturali. Sexta. In naturalibus operationibus animalia non fatigantur, ergo inſpiratio, ac expiratio naturalis facultatis erit actio. Septima, & vltima; ſi reſpiratio non eſſet naturalis actio, eſſet animalis, ſi ſic eſt, lęſa reſpiratione, remedia deberent apponi cerebro, vbi reſidet animalis facultas. Sed læſa reſpiratione remedia cũ vtilitate pectori, & non cerebro applicantur, ergo reſpiratio naturalis, minimè animalis erit actio. His rationibus Galeni auctoritates connecti poſſunt. Prima eſt lib. de vtilitate reſpirationis cap. 1. circa initium; vbi de reſpiratione loquens dicit: ex quo manifeſtum eſt ad nullam particularem actionem, ſed ad ipſam vitam eam pertinere, hinc infero: ſi reſpiratio ad

vitam pertineret,cum viuere sit nutriri, & nutriri sit naturalis actio:sequitur quod respiratio,quæ est nostrum viuere,sit naturalis actio : Secunda auctoritas ex eodem Galeno depromitur tertia aphorismorum in comento 23.aph., vbi dicit,respirationē verò nemo potest cohibere,neque aliter datur respirandi facultas:si respiratio cohiberi non potest, ergo est naturalis actio, ex his manifestum est, respirationem ad naturalem potentiam reducendam esse. Secunda opinio fuit Ioannis Fernelij lib.6.cap.17., quā secutus est Fuchsius lib.1.sectione septima cap.3., & alij multi, qui voluerunt inspirationem, ac exspirationem à sola animali potentia fieri, ac dependere; quam opinionem pariter rationibus, ac auctoritatibus sectatores confirmare tentarunt. Prima ratio huiusmodi est : Illa actio animalis, & voluntaria est, quam & sedare possumus dum volumus; & cum nondum facta est facere : At respiratio huiusmodi est; nam eam ad libitum sedare, & cum facta non est facere possumus; ergo respiratio animalis, & voluntaria erit actio : Posse autem nos ad libitum respirationem sedare, vt minor propositio asserit,peritissimè docet seruus ille Barbarus,de quo verba fecit Galenus secundo de motu musculorum cap.6., qui vehementi ira concitatus, mortem sibi parare decreuisset, prostratus humi, respirationeque cohibita, longo tempore immobilis mansit, post paulum volutatus mortuus est. Idem confirmat Valerius Maximus lib.9., vbi varias historias multorum refert, qui desperatione capti cohibito spiritu vitam cum morte commutarunt. Secunda ratio est hæc:illa actio animalis,ac voluntaria teneri debet,quæ animalibus instrumentis absoluitur.Sed respiratio musculis absoluitur,qui animalis facultatis materiæ instrumenta sunt, ergo respiratio animalis facultatis erit actio: Tertia: ad cerebri lesionem leditur respiratio; vt in pleuritide,& apoplexia clarissimum est, Sed in cerebro reperiuntur animales facultates,ergo respiratio animalis facultatis erit actio. Quarta, & vltima : si respiratio non esset animalis facultatis actio, esset actio naturalis. Si naturalis, vbi reperiuntur naturales potentiæ ibi respiratio reperiri deberet:sed in plantis omnes naturales reperiuntur potentiæ; ergo respiratio ibi reperiri deberet : sed hoc non apparet : ergo respiratio non naturalis, sed animalis potentiæ erit actio : Hanc suam opinionem præter rationes multis auctoritatibus confirmant,potissimùm

autem

autem auctoritate Galeni secundo de motu musculorum cap. 5., vbi dicit, respirationem in numero earum actionum esse, quæ à consilio, & voluntate prodeunt, & quæ citius, & tardius, crebrius, & rarius fieri possunt, ergo respiratio animalis, minimè naturalis erit actio. Hac stante opinionum varietate, quid credam breuitèr patefaciam: sum huius sententiæ: respiratoriam potentiam partim naturalem, partim animalem actionem esse: Ita quod actionem mixtam, vel mediam dicere valeamus: nam cum nostri corporis actiones aliæ sint naturales, vt coctio, nutritio, alimenti distributio, auctio: Aliæ sint puræ animales, & liberę, vt ire ad aliquem, loqui cum illo, recipere, sedere, surgere. Aliæ mixtæ, & mediæ, & quia partim naturales, partim animales sint, vt mingere, feces deponere: propterea dicebat Gal. lib. 6. de locis affectis capite 4 errant, qui vrinæ, & fecum deiectionem tantum ab electione pendere putant; Vt etiam qui hoc opus omninò naturale admittant. Vtriusq; sane particeps est vtraque actio; sunt naturales, mingere, & feces deponere, quia à facultate naturali expultrice actiones istæ fiunt, ac excernuntur: sunt etiam animales, quia excrementa hæc non excernuntur, nisi musculus sphincter aperiatur. Talis est respiratoria potentia; quod etiam assentire videtur Gal. 2. de motu musculorum cap. 6.; esse autem hanc respirationem, & respiratoriam potentiam partim naturalem, partim animalem, satis clare patet; nam cum respiratio ob cordis refrigerium, ac fuliginum expulsionem instituta fit, ratione huius causæ finalis, ac necessitatis est naturalis, cùm attractio, & expulsio naturalis actio fit. Est etiam naturalis, quia ad hanc efficiendam, cor, & pulmones concurrere videntur, quæ naturalis potentiæ instrumentata sunt; Animalis est ratione musculorum thoracis distendentium, ac contrahentium; qui musculi animalis potentiæ organa sunt. Hac de causa qui strangulantur, ac suffocantur, respirare non valent ob defectum animalis facultatis, cum musculi simul cum neruis laqueo intercipiantur; Sic Hystericæ mulieres non respirant, quia nequeunt naturaliter; nam calore suffocato, nullus est respirationis vsus, nulla necessitas, etiamsi in istis musculi liberi, ac soluti sint. ex his satis clarè patet, illos grauiter errare, qui respiratoriam potentiam omnino naturalem esse putarunt. Sicut pariter illos, qui eam omnino animalem, cum respirationis organa alia naturalia, alia animalia

sint

sint. Sed antequam vlteriùs progrediar, obiter hic notare debemus, quod multas vtilitates, ac commoda nobis affert respiratoria potentia, quatenus voluntaria, & animalis est; nam cum per eam spiritum aliquando cohibere, aliquando impellere valeamus; spiritum cohibere ad multa vtile est, potissimum vt aliqua attentius auscultemus; vt per loca fœtida sine incommodo transeamus; vt in aquam mergere valeamus. Sic eum impellere vtile est; ad excitandum ignem, ad quid inflandū, ad expellendum, quas vtilitates, si respiratoria potentia omninò naturalis esset, præstare non posset. Habita hac veritate, vt nostra elucescat opinio, rationibus, & auctoritatibus in contrarium adductis satisfacere infra conabimur.

Solutio rationum, auctoritatumque probantium, respirationem tantùm naturalem esse actionem.

CAPVT VNDECIMVM.

ERat prima ratio, qua Aristotiles, & sectatores probabant, respirationem naturalem tantum esse actionem huiusmodi: Expiratio, Expulsio est, aeris, attractio est inspiratio; at trahere, & expellere facultatis naturalis actio est: ergo inspiratio, & exspiratio à sola naturali potentia fiet. Huic rationi respondere possumus, minorem propositionem ampliantes, & dicentes trahere, & expellere, etiamsi actio est facultatis naturalis, non est tamen hæc actio ita facultati naturali propria, vt alteri facultati conuenire non possit, nam facultas animalis, etiamsi ipsa trahit, & expellit, vt in motu locali manifestum est, nam pondera à loco ad locum mouere, animalis facultatis actio est, si sic est, minori propositioni suplentes dicere debemus, attrahere, & expellere animalis, & naturalis facultatis actio est, & sic ex necessitate inferre possumus, ergo inspiratio, & expiratio à naturali, & animali potentia simul fiet, quod nostrum erat intentum: Ad secundam rationem, cum dicebamus, illa est naturalis potentiæ actio, quæ cohiberi non potest: At Inspiratio, & Expiratio in ira, in febre ardenti, Orthopnea, ac Asthmate cohibere non possumus; nam velimus nolimus respirare coacti sumus: ergo inspiratio, & expiratio à naturali potentia fiet,

Re-

Respondeo minorem glossando dicens: In ira, febre ardenti, Orthopnea, ac Asthmate, inspirationem, ac expirationem etiamsi omnino, ac per multum tempus cohibere, nō valeamus, possumus tamē si volumus per aliquod minimum temporis, etiamsi cum aliqua pęna, spiritum cohibere, ac ab opere desistere, vt in se ipso vnusquisque experiri potest: At sicut respirationem non posse omnino cohiberi, est naturalis actio, quia continua: sic per aliquod tempus ad libitum posse cohiberi est animals actio: si sic est, ergo ex necessitate sequitur, inspirationem, ac expirationem partim à naturali, partim ab animali potentia fieri, quod erat intentum. Ad tertiam cum dicebamus, solæ naturales potentiæ nunquam ociantur, cum non tantum in vigilijs, sed etiam in somnis agant. ergo inspiratio, & expiratio à naturali potentia fiet. Respondeo maiorem propositionem ampliando, & dico, quod etiamsi naturales facultates nunquam ocientur, etiam animales nunquam ociantur; nam in somnis nobis quandoque inscijs mouemus pedes, brachia, loquimur, clamamus, imaginamur insomniorum causa. ergo dicere non valet, naturales potentię nunquam ociantur, quia animales etiam nunquam ociantur. Vnde si inspiratio, & expiratio nunquam ociantur, non est maior ratio, vt naturalis; quàm animalis sit actio. Erat quarta ratio, naturales actiones absque electione fiunt, vt de chylificatione, ac nutritione clarum est: At inspiratio, ac expiratio absque electione fiunt, vt in somnijs manifestum est; ergo inspiratio, & expiratio solius naturalis potentiæ erit actio. Ad minorem respondeo dicens, minorem hanc propositionem partim veram, partim falsam esse, veram in somnijs, falsam in vigilijs, nam etiamsi inspiratio, & expiratio in somnijs sit absque electione, vt minor propositio asserit: In Vigilijs tamen cum electione fieri potest. Nam vigilantes modo inspiramus, modo nobis volentibus per aliquod tēpus non inspiramus, hac stante distinctione, cum naturales actiones semper absque electione sint, Inspiratio autem, ac expiratio aliquando cum electione, aliquando absque electione fieri possit; satis clarè patet, inspirationem, & expirationem aliquando naturalem, aliquando animalem actionem esse, nec semper naturalem, vt ratio falsè concludere videtur. Ad quintam cum dicebatur, in Caro, Apoplexia motus respispirationis seruatur, ergo respiratio à potentia animali, quæ

vt ligata manet, fieri non valet: fiet itaque à naturali. Respondens dico, quod auferri in apoplexia, & caro sensum, & motum, duobus modis intelligi potest, aut quod in apoplexia, & caro præter sensum auferatur totius corporis localis motus; Aut quod auferatur omnium corporis partium motus. Concedo in apoplexia, & caro auferri totius corporis locales, ac progressiuos motus, vt experientia docet, nego tamen auferri particulares locales motus; nam in apoplexia, & Caro particularis motus, vt respiratio non ociatur; nam hic tunc temporis ab vrgente necessitate excitatur, remanente adhuc in musculis, neruisque vestigia quædam animalitatis, vnde agit; ergo cum in apoplexia, & caro non auferratur particularis localis motus, qui animalis est, qualis est respiratio; negantes maiorem concludere non valemus; ergo respiratio à potentia naturali fiet, cum ab animali fiat, atque oriatur, erit itaque animalis potiùs, quàm naturalis actio. Ad sextã cum argumentabatur, in naturalibus operationibus animalia non fatigantur; sed in inspiratione, ac expiratione efficienda animalia non fatigantur: ergo inspiratio, & expiratio naturalis facultatis erit actio, respondens dico, quod animalium operationum aliæ sũt contractæ in habitum, vt respirare, videre, audire; aliæ non sũt contractæ in habitum, vt incidere, clamare, scribere, quæ sũt contractæ in habitum, animalia in earum emanatione non fatigantur; quæ vero in habitum non sũt contractæ, in earum effectu animalia fatigantur, cum respiratio de genere earum operationum sit, quæ ob eius necessitatem in habitum sunt contractæ, non est mirum si animalia dum respirant, non fatigantur; quapropter ex hoc quod in respiratione efficienda non fatigatur animal concludere non valemus, ergo inspiratio, ac expiratio naturalis facultatis erit actio, cum inspiratio, ac expiratio sit animalis actio, ac de genere earum in emanatione, quarum non fatigatur animal, vnde argumenti consequentia non sequitur, & negari potest, qua negata tota ratio ruit. Erat septima, & vltima ratio. Si respiratio non esset naturalis actio, esset animalis, si sic est, læsa respiratio ne remedia deberent apponi cerebro, vbi adest animalis facultas: sed lęsa respiratione remedia cum vtilitate adhibentur pectori, vbi adest naturalis, non cerebro, vbi animalis: ergo respiratio naturalis, minimè animalis erit actio. Huic respondens dico, quod respiratio est animalis actio; sed cur lęsa remedia non

appo-

apponuntur cerebro, hoc fieri arbitror, quia respiratio vt plurimum lęditur ratione instrumentorum, qualia sũt thoraci s musculi, quàm ratione facultatis, cum hæc instrumenta sint in pectore, & sint animalis facultatis instrumenta, minimè verò in cerebro: Hinc fit quod remedia pectori, & non cerebro apponantur. Ex his satis clarè patet, rationes prioris opinionis nihil certè concludere. Minùs eiusdem opinionis auctoritates certum quid concludere valent. Et primo cum Galeni auctoritate primo de vtilitate respirationis primo dicebatur ibi Galenũ respirationem vitam appellare, quæ vita cum nil aliud sit, quam nutriri, & nutrire sit naturalis actio; ex hoc inferebatur, respirationem ad naturalem facultatem reducendam esse. Respondeo, & dico, quod Galenus in eo capite agit de vsu respirationis ex veterum opinione, & dicit, quod vtilitas respirationis non est vulgaris, idest parui momenti, sed magni: quod apparet ex hoc, quia in deperdita perdurare non valemus temporis momentum, sed morimur, quod cum sit, ad nullam aliam actionem eam pertinere assero, quam ad ipsam vitam, ita quod in ea vita nostra constat, ac cum viuere idem sit. Ex hoc tamen, quod Galenus respirationem vitam appellat non debemus inferre, viuere est nutriri, ergo respiratio est naturalis actio, quia viuere dicitur etiam de sentire, quod est animalis actio, ergo auctoritas nihil certè concludit. Ad secundam auctoritatem, cum Galeni auctoritate dicebatur tertio aph. 23, respirationem neminem cohibere posse, ergo est naturalis actio: Respondeo, & dico, cum dicat Galenus respirationem &c. intelligit per longum tempus, non tamen negat per tempus breue cohiberi posse, quod sola animalis potentia facere valet: Vel dicere possumus, quod intelligat Galenus de transpiratione totius corporis, non de respiratione, quæ voluntaria est, ac musculis absoluitur, ergo huius opinionis auctores opinionem nostram turbare non est credendum.

Solutio rationum, auctoritatumque astruentium, respirationem esse actionem animalem.

CAPVT DVODECIMVM.

RAtiones, quæ Fuchsium, Fernelium, ac sequaces suadebant, vt crederent, respiratoriam potentiam animalem esse, facilè solui possunt; & primò prima, quæ huiusmodi erat: Illa actio animalis, & voluntaria est, quam & sedare possumus dum volumus, & cum nondum facta est facere: At respiratio huiusmodi est, nam eam ad libitum sedare, & cum facta non est facere valemus, ergo respiratio animalis, ac voluntaria erit actio. Respondeo, & dico, quod nos ad libitum respirationem sedare posse duobus modis intelligere possumus, vt superius dictum est, per tempus longum, & per breue; per breue cohibere possumus, & sic hoc pacto est animalis; per longum cohibere non possumus, vt in asthmate, febre ardente, & similibus, vnde in hunc sensum non est animalis, sed quid naturalitatis continere videtur, ergo respiratio voluntaria non erit actio. Ad secundam rationem, quæ huiusmodi erat: Illa actio animalis, ac voluntaria teneri debet, quæ animalibus instrumentis absoluitur. Sed respiratio musculis absoluitur, ergo respiratio animalis potentiæ erit actio: Dico verum esse, respirationem animalis potentiæ actionem esse, vt argumentum concludit: sed non solius animalis potentiæ, cùm præter musculos, Cor, & pulmones concurrant; cùm animalia non habentia cor, & pulmones non respirent, quæ partes musculi non sunt, sed naturales partes, quarum partium actio naturalis potiùs, quàm animalis teneri debet; ergo respiratio non est sola animalis actio, sed etiam naturalis. Erat tertia ratio. Ad cerebri læsionem læditur respiratio, vt in phrenitide, ac apoplexia manifestum est: sed in cerebro reperiuntur animales potentiæ, ergo respiratio animalis potentiæ erit actio. Respondeo, & dico, quod à pari argumentari possumus: Ad lœsionem cordis, & pulmonum, vt in ardenti febre, & peripneumonia clarum est, læditur respiratio; sed in Pulmonibus, & Corde naturales potentiæ manent, ergo respiratio naturalis potentiæ erit actio. Ad quartam, & vltimam ra-

tio

tionem, quæ erat si respiratio non esset animalis potentiæ actio, esset actio naturalis: si naturalis, vbi reperiuntur naturales potentiæ ibi respiratio reperiri deberet: sed in plantis omnes naturales potentiæ reperiuntur: ergo ibi respiratio reperiri deberet. Sed hoc non apparet, ergo respiratio non naturalis, sed animalis potentiæ erit actio. Respondeo, & dico, naturales potentias duplices esse: Aliæ sunt perfectæ, aliæ imperfectæ. Potentiæ naturales perfectæ vbi reperiuntur, ibi reperitur respiratio, vt in perfectissimis animalibus contingit: sed vbi reperiuntur naturales potentiæ imperfectiores, vt sunt illæ plantarum, ibi non reperitur respiratio, ergo argumentum nihil concludere valet. Et sicut rationibus satisfacere non fuit arduum, minùs credo arduum esse auctoritati Galeni secundo de motu musculorum cap. 4. positæ satisfacere, vbi dicit respirationem in numero earum actionum esse, quæ à consilio, & voluntate prodeunt, & quæ citius, & tardius, crebrius, & rarius fieri possunt, cui satisfactum esse iudico, si dicamus respirationem dupliciter considerari posse. Vel absolutè, quatenus est respiratio, vel in respectu, quatenus crebra, & rara, citò & tardè fieri potest: Absolutè in vniuersali non est animalis, & voluntaria, eo quia non solum semper possemus benè dispositis instrumentis, quando volumus, respirare; sed etiam possemus, quando nolemus respirare, non respirare. Sed hoc præstare non possumus, nam etiam volentibus diu à respiratione abstinere, impossibile est, ex quo sequitur respirationem in hunc sensum actionem naturalem esse: in respectu autem, quatenus crebram, & raram, citam, & tardam, ad libitum facere possumus, est animalis. ergo horum opinio est reijcienda, ac concludendum, in respiratione aliquid voluntarij, ac naturalis recludi, mixtamque esse actionem, vt satis probatum supra fuit, & hæc sint satis de Præcognitis Cordis.

FINIS.

LIBER SECVNDVS

DE PALPITATIONE CORDIS,

CAPVT PRIMVM.

Intentio Auctoris.

HAbita quadam cordis, præcognitionumque notitia in antedicto tractatu, restat vt diligenter de eius affectionibus cognitionem, & perfectam notitiam inquiramus, quam nos habere non possumus, nisi præhabitis illis omnibus, quæ superiùs in priori tractatu explicata fuere, cum enim cor, vitæ principium, vitalis facultatis sedes, ac domicilium, caloris officina sit, tamen & si teste Aristotele 3. de partibus animalium cap. 4. circa finem, nullum vitium patiatur graue, quia semel læsum securam mortem indicat: hac de causa Galenus 4. de locis affectis dicebat, numquam mors nisi ad immodicas intemperies cordis; nihilominus quotidiana experientia docet, cor varios morbos, variaque symptomata subire, quod nec Aristotelem credendum est negasse, ponendo illud verbum (graue) nam possibile est, vt cor multos morbos, multaque symptomata patiatur, sed non grauia, propterea dicebat Galenus 5. de locis affectis 2. cor laborare erysipelate, inflammationeq; dum fieri incipiunt; antequam autem augeantur animal moritur. De his omnibus, Deo fauente, facile, ac dilucide à me in hoc libello erit differendum. Sed quoniam cordi non conueniunt morbi graues, quales sunt in intemperie, in mala compositione, ac soluta vnitate, cum morbi similes iecori, ventriculi, alijsque partibus conuenire videantur. De his methodo resolutiua procedens nunc tractare non aggrediar: sed tantum de symptomatibus cordis: de morbis autem inferius dicemus, cum symptoma teste Gal. 1. de symptomatum differentijs 1. sit actionis læsio, tot erunt cordis symptomata, quot sunt ipsius actiones: sunt autem variæ actiones cordis. Prima, ac principalior est spirituum animalium generatio; Secunda, pulsatio; Tertia, respiratio; Quarta, irrascibilis; Quinta, animata. De his omnibus esset differendum, sed

quo-

quoniam ad pulsatilis lęsionem omnes aliæ actiones reducuntur; ac illæ læduntur, nam pulsatili lesa Calor vitalis non temperatur, cum ipsi nec refrigerium, nec alimentum, sicut prius, allicitur: hinc deficit calor natiuus, ad cuius ablationem omnes aliæ operationes ruunt; vt generatio noui spiritus vitalis; respiratio animosa, atque ipsa irascibilis operatio, quapropter de symptomatibus cordis acturus, de sola pulsatili læsione verba faciam, quæ operatio cum ad læsionem pulsatilis facultatis lædatur, de symptomatibus, quæ accidunt facultati pulsatili, erit tractandum, læditur autem actio facultatis pulsatilis cordis ex Galeno 6. de placitis 1. tribus modis, nam aut imminuitur, aut deprauatur, aut tollitur. Imminuitur in Syncope; deprauatur in palpitatione; tollitur in Asphyxia, de his omnibus esset differendum: sed quoniam in Asphyxia est vltimum terribilium, & huius vitæ, vt concorditer omnes medicinæ scriptores affirmant, vltimus finis, fiatque ab iisdem causis, à quibus syncope, sed potentioribus, vt ex notitia syncopes, & asphyxiæ innotescit, quapropter breuitati consulens Asphyxiam sub silētio inuoluam, & de sola palpitatione, & syncope verba faciam. Prius autem de palpitatione, quam syncope, cum palpitatio frequentiùs contingat, quam syncope, ac proinde vniuersalior existat: non immerito igitur prius de palpitatione, mox de syncope à nobis erit discutiendum.

De natura, nomine, atque essentia palpitationis cordis.

CAPVT SECVNDVM.

PRincipale symptoma, quod cordi nobilissimo visceri in media thoracis parte collocato fonti, & vitæ omnium corporis partium cōtingit, illud est, quod latini à symptomate, ac parte simul affecta nomen sumentes cordis palpitationem appellant, Arabes tremorem, Marcellus saltum: Serapion Caphoram: nonnulli Cardiacam, sed perperam, cùm Cardiaca oris ventriculi potiùs, quàm cordis affectio existat, quod os Græci Cardiam, id est cor appellarunt, vt secundo de placitis octauo admonet Galenus: huius palpitationis naturam describens dico cum Galeno 2. de causis symptomatum 2. vltra medium, Palpitationem

tionem esse dilatationem quandam præter naturam: In particula dixit dilatationem, vt ostenderet causam formalem ipsius palpitationis, quæ nil aliud est, quàm dilatatio, ac extensio loci, vbi fit palpitatio, ex quo luce solis clarius patet, illa, quæ dilatari non possunt, non palpitare, quæ sunt ex eodem Galeni loco antecitato Os, cartilago. ego addo neruum, membranam. Palpitant autem cutis subiecti musculi, Ventriculus, Vesica, Vterus, Intestina, Iecur, Lien, Cor, Arteriæ, Venæ, ac demum omnes partes, quæ extendi, ac dilatari valent, dixit præter naturam, vt ostendat, dilatationem hanc non fieri à facultate naturali intrinseca, quemadmodum diastole, ac dilatatio cordis, & arteriarũ efficitur: sed fieri à causa extrinseca morbosa præter naturam adueniente cordi, ac ipso dilatante, nam si hæc palpitationis dilatatio à causa naturali intrinseca fieret, vt dicit Galenus eodem capite, etiam sanitatis tempore: sed cum hæc palpitatio, de qua loquitur nunc, nec semper, nec corporibus bene se habentibus fiat. ergo hæc palpitatio à causa naturali intrinseca fieri non potest, sed tantum ab extrinseca adueniente cordi ipso replente, atque dilatante, ad vtrium similitudinem, qui dilatantur cùm implentur, quæ & qualis sic hæc causa in progressu tractatus dicemus. Notare autem debemus, dilatationem palpitationis non tantum differre à dilatatione naturali cordis, quod prima ab extrinseca causa oriatur, secunda ab extrinseca facultate emaneat, sed etiam differre, quia post vtramque dilatationem sequitur compressio, vel contractio; sed compressio, quæ sequitur naturalem dilatationem cordis, fit ab eadem facultate dilatante, quæ dum dilatat, facit attractionem, & diastolen, dum contrahit, expulsionem, ac systolen; compressio autem, quæ sequitur palpitationis dilatationem, in quacunque corporis parte palpitatio fiat, nec fit à facultate, nec à causa præternaturam, sed ad membri naturalem generationem consequitur. tandem Galenus dixit (in particula) vt ostendat plures partes alicuius membri palpitare posse, vt modò vnam, modò aliam, etiamsi totum membrum non palpitet, dilatetur, ac subsideat, cutis manus palpitare potest immota manu, sic vna vena, vna arteria manus, immota remanente manu, non negat tamen, quandoque etiam totam manum ad eius motum moueri, quando.s. motus ille est impetuosus, & potissimum in musculis manus, nam his impetuosè motis, tota manus attollitur, sicut quandoq;
ad

ad validam articulorum cordis dilatationem, totum cor impetuosè mouetur, atque ita, vt costas quandoque disrumpat. qui validus motus, communiter saltus dicitur; de hoc saltu cordis loquens Aristoteles lib. de morte, & vita; dicit, cordis saltum ab extrinseco aere prodire, ex quibus meridiana luce clariùs patet, quid sit palpitatio: sed quoniam aliquis ingeniosus inquirere posset dicens, cum hæc vera palpitatio sit dilatatio, & depressio facta, & prodita à re præter naturam, cum fit in corde, quid tunc temporis agunt facultates cordis, ac potissimum pulsatilis, pulsat, nec nè, nam possumus respondere, & dicere, quod tunc temporis pulset, quia pulsare est dilatatio secundum naturam, palpitatio est dilatatio præter naturam, vno, & eodem tempore nulla pars nostri corporis potest esse & secundum naturam, & præter naturam, cum duo contraria simul, & semel in eodem subiecto ex sententia Aristotelis, & omnium philosophorum, stare non possint. Si dicamus tunc temporis non pulsare, suffocabitur calor natiuus eo non euentilato secundum suum opus, vnde mors, quæ cum minimè sequatur iure merito quærendum, quid tunc temporis facultates agant? Respondeo, & dico, facultatem hanc pulsatilem tempore palpitationis minimè pulsare, nam cum motus dilatationis veræ palpitationis cordis sit longè maior dilatatione pulsus, vincitur, ac obscuratur facultas ipsa palpitans, dilatans à dilatatione naturali pulsus, sicut maius lumen vincit, & obscurat minus, ita quod non agat, vel si agit non cognoscitur, quomodo agit, suffocabitur calor, vnde mors: Dico; & respondeo ad hoc, quod tempus, quo perdurat ipsa palpitatio, est momentaneum, & breue, illico fit, & statim desinit, ex quo sequitur, quod pulsus breui tempore à suo instituto, & opere desistit, ob cuius breuitatem non est suffocationis periculum; benè esset periculum; si per multum temporis spatium perduraret, vt cor, & pulsus omninò priuaretur suo munere, & sic quærenti cummularè satisfactum fuisse arbitramur. Cōcludendum igitur est, nomen, & essentiam palpitationis non esse aliam, nisi illam, quam Galenus loco superius citato paucis verbis demonstrauit, vt scilicet palpitatio nil aliud sit, nisi dilatatio cordis quædam præter naturam, vt satis supra abundè à nobis declaratum fuit.

F Dt

De causis palpitationis immediatis, proximis, atque remotis.

CAPVT TERTIVM.

HAbita natura, essentiaque palpitationis, ordo expostulabat, vt de illius causis statim omni industria, atque diligentia inquiremus, & certè errorem nos committere non putamus, si ad tria capita omnes causas huius affectus reducamus: nempe primo ad spirituum defectum: secundo ad caliditatem extraneam: Tertio ad alienam substantiam. Causæ autem, quare spiritus defficiunt à suo naturali statu, quibus defficientibus necessario sequitur palpitatio, inordinatusque motus cordis, & arteriarum, sunt veluti euacuatio sensibilis, vel insensibilis, quæ præceserat, dolor vehemens, fortis mœstitia, immodica inedia, & aliæ huiusmodi, quæ valent spiritus labefactare. Ab his autem causis, dum cor spiritibus priuatur, ipsos procreare cupiens frequenti motu mouetur, & tunc læditur cor per consensum, qui priuatiuus dicitur, ex Auicenna. Causæ autem, à quibus augentur caliditates cordis, est febris, siue ipsa principaliter funditur in spiritibus, siue in humoribus, siue in solida cordis substantia ex Galeno 6. de Placitis cap. 3., & Tertio de placitis primo, & nono; non febriles causæ, vt in ira, & in vehementi corporis motu accidit, ratione quarum, præsertim in spiritibus cordis calor attenditur, dictum est præcipuè in spiritibus calorem intendi, quia dùm ira exempli gratia perdurat, potest etiam in hu moribus, & in solida substantia extraneam caliditatem ascendere, & si caliditas hæc sit permanens, & auxilium indicans, cor essentialiter læditur; secùs autem si non sit permanens: Aliena autem substantia, quæ est causa palpitationis, potest esse solida, humorosa, & vaporosa, vt colligitur à Galeno lib. de causis pulsuum, & 5. de locis affectis cap. 2. & alibi. Solida substantia, quæ veniens in corde potest facere palpitationem, est vt instrumentum pungens, incidens, contundens. si vero sit humorosa, ab hac interdum secundum propriam substantiam, interdum secundum proprium panniculum, & tunicam, quæ vocatur pericardium distenditur, & inflammatur; nonnunquam verò citra inflammationem, & tumorem lacessitur: si afficiatur tumore, vel inflammatione secundum

dum propriam substantiam, id potest fieri à quolibet succo, præcipuè tamen bilioso, & sanguineo: si verò à materia excitetur tumor, & inflamatio in pericardio, & panniculo cor ambiente, iste erit tumor, & intemperies frigida, vt Hydatis, & potissimus Scirrhus. A materia autem humorosa citra inflamationem lacessitur, id est prouocatur, & incitatur cor ad faciendum hunc motum pulsatilem deprauatum, dum vel ab eius vitiosa qualitate irritatur, vel ab eius mole, copiaque premitur; vel vtroque modo læditur. A vitiosa qualitate irritatur, dum petit cor humor aliquis venenosus, putridus, vel corruptus, vel caliditate peccans, vel potissimum caliditate, & siccitate molestus; vt est humor acer, biliosus, vel etiam frigiditate, & siccitate, vt est humor melancolicus, veniens, & distendens substantiam cordis, qui præter manifestas qualitates ipsi vitæ, quæ in calido, & humido consistit, inimicas ratione tenebrositatis spiritibus vitalibus, & cordi est valde contrarius: Si vero materia humorosa mole, & copia cor premat, tunc vel est in ipso corde, vt dum comprimitur à sanguine prodeunte ex vulnere sibi inflicto, vel ei ab extra communicatur, & tunc vel est in toto, vt in vehementi plethora, in hyposarca, in repentino timore, in quis sanguis adeo vehementer ad cor retrahitur, vt ab eo interdum suffocetur; Vel est in pericardio, dum s. humiditas illa aquosa adeo augetur, vt cor probè dilatari non possit: hinc fit, vt narrat Galenus lib. de palpitatione cap. 5. quod palpitatio legitima ortum trahat à flatu, seu materia flatulenta frigida, quæ materia generatur ab agente frigido, ab intemperie frigida, siue sit in corde, siue extra cor; vnde omnem ligitimam palpitationem esse effectum frigiditatis affirmabat, & propterea narrat Gal. 5. de locis affectis 2. vt illegitimæ palpitationis causam omnem antiqui vel in sanguinem exuberantem, vel in humorem copiosiorem pericardio infixũ, retulerint: vel in vasa pulmonum, præcipuè in leues arterias, quæ sunt propè cor, in quibus solet materia frigida aggregari, quæ potissimum copia cor fatigat, & in prauium motum impellit. Si verò cor ab eius qualitate, & quantitate lędatur potest similiter prodire vel à toto, vt dum in febribus, præsertim mortiferis, humores impetuosè feruntur ad cor per venam cauam, vel à parte, vt dum aposiemata pulmonis, aut partium vicinarum in cor permutantur per arteriam venalem. Si vero materia, & aliena substantia palpi-

tationem faciens fuerit vaporosa, ipsa vel praua qualitate cor ferit, vel nimia copia ipsum grauat, vel vtroque modo ipsum afficit, si qualitate feriat, qualitas est vel occulta, vel manifesta; si occulta, vel prodit à causa externa, vt à venenis assumptis, applicitis, & morsibus ferarum, ab aereque corrupto: Vel à causa interna, & tunc potest prodire vel à toto corpore; vt in febre pestilenti, vel à parte, vt in vermibus putridis, ab apostemate alicuius partis, dum permutatur apostema de bono ad malum, quod adeò prauum redditur, vt naturam aduersariam cordis proprietate acquirat. Idem dicendum de alia parte maligno humore scatente, præcipue dum ab eo ingenti dolore crutiatur, siue sit ventriculus, siue vterus, vel aliud membrum quodcunque sit. nam à parte maligno humore, & præsertim dolore crutiata, potest vapor malignus, & virulentus segregari, & cordi per venas, & arterias communicari: Si vero qualitas sit manifesta, vel est prima, vel secunda: Si sit prima potest esse calida tantum, calida, & humida (dum caliditas sit dissimilis à naturali) calida, & sicca potissimum, siue sit excrementum fuliginosum, siue vapor biliosus: frigida, & sicca, qualis est vapor, qui prodit à vapore melancholico, & atrabilari, qui à proprietate, vt dictum est, accedit ad naturam veneficam. A vapore autem frigido tantum, humido tantum, & sicco tantum, vel etiam calido tantum, caliditate simili, vel remissa, non potest fieri pulsatio deprauata, nisi sui copia sit molestus: Si qualitas sit secunda potest esse putredo, vt dum putridæ fuligines, & putridi vapores in febribus putridis cor inuadunt. Hinc patet, cur in crisibus propter vapores, qui à materia maligna eliciuntur, solet etiam fieri palpitatio: Si verò materia vaporosa sui copia tantummodo cordi sit molesta, necesse est, vt acutæ, & intensæ qualitatis sit expers, & quod vt tantum sentiantur inflatio, & leuis aggregatio: Secùs apparebit, si hic vapor malignus, simul & quantitate, & qualitate agat in cor: Remotæ verò causæ quærentes, vt sunt ætas declinans, membrum abscissum, expultricis debilitas, consuetæ euacuationis suppressio, & exercitij intermissio, quæ valde periculosa est: Quibus addendæ sunt causæ disponentes cor ad hunc motum prauum. hæ autem sunt cordis intemperies, non tamen ægritudinis, sed sanitatis, quæcunque intemperies fuerint, vnde per calidam intemperiem facile di-

sponi-

ſponitur cor ad prauum motum, ex cauſa calida, verbi gratia ex ira; per frigida, ex cauſa frigida.

Ad quod genus affectuum præter naturam pulpitatio reduci debeat.

CAPVT QVARTVM.

IN ſupradictis probatum fuit, palpitationem veram eſſe dilatationem, ac conſtrictionem præter naturam; de eius cauſis longo ſermone ſatis diſcurſum fuit, cum adhuc autem explanatum non ſit ſub quod genus præter naturam hæc palpitatio reduci debeat, iure in hoc capite de hoc genere eſt inquirendum, quoniam autem omne præter naturam, ex omnium medicorum ſententia, ad tria capita reduci poſſe videtur, morbum, morbi cauſam, atque ipſum ſymptoma. Quærentes ſub quo genere præter naturam horum palpitatio reduci debeat, nunc debemus oſtendere, An ſcilicet ſit ea morbus, an morbi cauſa, vel ſymptoma ipſum, Et primo quantum attinet ad morbum; Huius ſum ſententiæ, palpitationē, de qua ſuperius dictum eſt, morbum dici nō poſſe; nā cum ex Gal. lib. de differentijs morborum pluribus in locis, omnis morbus aut eſt in intemperie, vel in mala compoſitione, aut denuo in ſoluta vnitate: Si palpitatio eſſet morbus, neceſſarium eſſet, ipſum vnū horum eſſe: Sed morbum in intemperie dici non poſſe probatur, nam morbi in intemperie ſiue calida, frigida, humida, vel ſicca, diu durant: At hæc palpitatio fit citò; & facta cito reſoluitur: Ergo morbus in intemperie dici nō poteſt, præterquam quod qui ſic ſunt affecti referūt, ſe tunc temporis circa cor calidum, aut frigidum ſentire; quod in his minimè apparet palpitantibus: Ergo hæc palpitatio ad intemperiem reduci non poteſt. Minùs ad malam compoſitionem reduci videtur; nam cum mala compoſitio in magnitudine, numero, ſitu, & figura conſiſtit. Si palpitatio in mala compoſitione eſſet morbus, ſequeretur tunc temporis, cor huic palpitationi ſubiectum, magnitudinem, numerum, ſitum, & figuram mutare; quod cum dicere ſit abſonum; ergo credendum eſt, palpitationem hanc morbum in mala compoſitione dici non poſſe. Multò minùs in ſoluta vnitate morbus dici poteſt, tum quia in ſo-

in soluta vnitate morbus semper habet dolorem connexum, cum etiā corpora apprimè fatigat: At hæc palpitatio dolorem non habet connexum, neque corpora torquet: ergo luce solis clariùs apparet, palpitationem hanc ad nullum morborum genus reduci posse; De symptomate autem quid statuendum sit. Arbitror quoque hanc palpitationem symptoma dici non posse; primum, quia omne symptoma ex aliquo permanente oritur morbo: At hæc palpitatio non oritur ex alio morbo. Cor palpitans subiret hunc morbum contra Galenum 5. de locis affectis 2., qui clarè prefert, Cor morbos graues pati non posse, quinimo & tertio simplicium in octauo, & Aristotiles idem affirmat 3. de partibus animaliū: Post hæc; si esset symptoma, aliquo pacto actiones læderet; at nullo modo in hac palpitatione actiones læduntur, cum citò accedat, & recedat: ergo hæc palpitatio symptoma dici non potest; Reliquum est itaque vt credamus, palpitationem hanc ad causas reduci posse. id, quod me in hac sententia confirmat, est auctoritas, & ratio: Auctoritas est primò Galeni secundo de causis symptomatum primo, vbi referens morbos, qui fiunt tantum à causa morbifica: Ait vnius tantum morbi opera sunt palpitatio, & conuulsio: cui auctoritati alia accedit à Galeno posita secundo de causis simplicium secundo, vbi inquirens, quomodo in hac palpitatione cor, & arteriæ dilatentur, ait hoc non fieri, quia ab aliqua facultate dilatentur, vt fabrorum folles, sed vt vtrium ritu, qui cum à vino implentur dilatantur. Vinum dilatans est quædam causa. ergo hæc palpitatio, quæ fit à causa vaporosa implente, vt inferius docebimus, ad causam reduci posse putandum iudicamus: His auctoritatibus accedit etiam ratio. Nam dilatatio, & constrictio, in qua totius palpitationis natura consistit est motus. At motus vna est ex rebus non naturalibus, quæ plurium morborum causa statuitur, igitur palpitatio nec morbus cuiuscunque generis esse potest, nec symptoma vllius naturæ; sed consistendum est secundum Auctoritatatem Galeni antecitatam, & rationem quoque adductam, causam morbi dici posse, vt superius satis abundè probatum fuit; quare quod de palpitatione dicitur, de syncope quoq; dicendum putamus, cum palpitatio in ordine affectionum, quæ deprauatæ sunt; Syncope verò in ordine harum, quę imminutæ sunt, cordis affectionum, existat, ab vna eademq; causa omnes istę orbantur magis, & minus differente.

De

De differentijs palpitationis cordis.

CAPVT QVINTVM.

PAlpitationis cordis differentiæ aliæ ſunt ſimplices, aliæ compoſitæ: ſimplices capiuntur à genere, à cauſis, effectis proximis, & à morbis, & ſymptomatis, quæ cum illo connectuntur. Quo ad genus alia eſt tantum cordis, alia habetur vtriuſque cordis, & arteriarum. Rurſus alia eſt, in qua cordis, & arteriarum celerrimus, maximus, inæqualis, & inordinatus fit motus; alia, in qua præſunt omnes iſtæ conditiones. Quo ad locum: alia eſt palpitatio ex ſola membrana cor ambiente; Alia eſt ex ſola ſubſtantia ſolida Cordis. Quantum ad efficientes cauſas, alia eſt ex ſolo flatu pericardium extendente, alia ex bilis impetu, alia fit attractricum cordis impulſu ad ſuſcipiendum aerem, vel propter auctionem caloris cordis, eò quia viæ ſint impeditæ, aut implentur ad ſuſcipiendum ſanguinem: Alia eſt, quæ fit expultrice irritata ab aqua in corde contenta, vel ab alio, quod ibi coaceruatur. A conexis. Alia eſt cum febre, alia ſine febre; alia eſt cum motu valido, vt coſtarum, alia eſt cum motu mitiori, abſque etiam febre; alia cum ſyncope, & alia ſine ſyncope. Quo ad cauſas mediatas; nam ſi fiat ex flatu pericardium extendente, ſiue hæc materia in thorace, vel capſula cordis contineatur, ſiue in liene, ſiue in Vtero, & ſiue augeatur, & generetur ex calore imbecilliori, vel ex cibis aſſumptis flatulentis, vt leguminum, & ſimilium. Cauſæ mediatæ bilis in corde ſunt ira, vſus ciborum acrium, ſalitorum; Aromatum, inter omnia prohibita expurgatio bilis conſueta. Mediatæ, propter quas impellitur actractrix ad ſuſcipiendum multum aerem, ſunt febres, viarum anguſtia, ſiuè fiant ex compreſſione, à tumoribus, vel calidis, vel frigidis. Cauſæ mediatæ, per quas mouetur cor inordinatè ad ſuſcipiendum ſanguinem, ſunt expurgationes prohibitæ; vel id contingit viciata ſanguificatrice, vt in Hydrope, & Cachexia: mediatæ, propter quas facultas expultrix irritatur, ſunt illæ, quæ intemperiem reddunt, cor, ſiue calidus, vel frigidius exſtat. Itaque principaliores differentiæ ad tria reducuntur capita, ad formam primo veluti vtrium, & follium fabrorum: Ad ſubie-

ctum

ctum secundo vnde afficitur cor vel secundum cauitates, seu ventriculos, vel secundum vasa, .s. venas, & arterias; vel secundum dextram, vel sinistram partem: Ad causam effitientem tertio, vnde vel est morbus, vel causa; morbus est intemperies, tumor, angustia, vulnus, soluta vnitas. Causa vel externa, vel interna: Interna vel est humor, vel vapor; externa, venena, animi passiones, &c. Quare vult Saxonia simplicium intemperiem cordis nō facere syncopem ni si adueniat aliquod, quod irritet naturam, & vult hanc mutare pulsum, non verò facere palpitationem etiam quæ valent excrementa generare ex Galeno 3. de præs ex pul. 4.

De signis demonstratiuis palpitationis cordis.

CAPVT SEXTVM.

AD exactam affectionem cordis notitiam traditis differentijs immediatè de signis palpitationis consonum nobis videtur verba facere, vt exactè quoque, ordinateque in affectibus cordis declarandis procedamus, & quoniam palpitatio cordis differentèr ortum habet; Propterea quando palpitatio ex solo pericardio, & ex flatu fieri ex pericardio percipietur; si imponatur manus ad cor, perspitietur, cor immediatè moueri, non vero arterias: Si autem à flatu, palpitabit, citò accedet, & cito recedet, isti timebunt sepè vertigines, rugitus, inflationes: tentantur sæpè Hydrope, exspuunt multum; fiunt melancholici, isti iuuantur à calorificis: si verò fiat ex bilis impetu, aderit febris vehemens, isti erunt ad iram procliues, furibundi, vigilias habebunt magnas, & fortes, facile accenduntur. Quod si fiat ex vsu acrium ciborum, vel putridorum fuliginum copia ad ipsum cor; tunc est necessarium, pulsus fieri inæquales, & interceptos: si adsit in vijs impedimentum, fit expiratio difficilis, crebra, inæqualis etiam: hæc cognoscetur ex præsentia vel peripneumoniæ, vel pleuritidis, vel alicuius similis. Pariter si irritetur facultas: si deficiat sanguis ex debilitate concoctionis: Quod si irritetur facultas ad irritamentum, oportet videre, si hoc est ex cordis essentia, aut per contentum partium aliarum. Ex corde cognoscetur, si fuerit veluti motus vtrium, & palpitatio erit frequentior;

tior,vehementior,& tardior,& rarior:si ex intemperie frigida,habebit æger omnia signa intemperaturarum frigidarum, veluti motus tardus,rarus,frigidaque expiratio quodammodo: Si originem trahet palpitatio ab intemperie calida, omnia signa intemperiei calidæ apparebunt, veluti motus frequens, velox, sitis, & inspiratio calida vehemens: Si palpitatio sit frequens, velox, & magna, suspicandum est,ipsam potiùs fieri per consensum, quàm per essentiam, nisi fiat ex aqua in pericardio: si fit ex aqua referunt isti, se sentire cor in aqua natare, habent expuitiones frequentes,& febres non fortes,& non sitiunt propter aquæ præsentiam: Si ex vtero fiet palpitatio, signum est vterinas euacuationes esse suppressas,vel esse aliquem alium defectum in eo. Si ex corruptione seminis,incurrunt sæpè in lipothymiam,in frigiditates extremorum,in sudores frigidos: Si ex alijs partibus, omnia per se patebunt. Si ex vermibus, palliditas colorata in facie, inappetentia, anxietates, dolores, lipothymiæ, deliriaque, pruritus narium,& ani, demonstrabunt hæc omnia vermium morbos. Si ex venenatis morbis,vel venenis ipsis facillimum erit agnoscere propter maximam palpitationem,quæ in corpore infirmo aderit, siue ea fiet à calidis, siue suffocatiuis venenis,& de his infra,&c.

De prognosticis palpitationis cordis.

CAPVT SEPTIMVM.

LIcet nonnulli ab hoc magno affectu, vt dicunt aliqui, sint liberati vel per venæ sectionem, vel per victum attenuantem, vel etiam medicamentorum quorundam ope, nihilominus permulti eorum, qui post annum, vel plures menses eodem malo rursus correpti fuerunt, ante senectutem vitam cum morte commutarunt, vt confirmat Galenus lib.2. de locis affectis capite 2.; verum alij quidem per acutas febres, alij cùm sani degerent, sincope correpti, atque extincti fuerunt: Si adueniat ab apostemate calido palpitatio ipsa, citò moriuntur, si à frigido,non ita cito interficit. Mala complexio, eaq; confirmata incurabilis est,& quando est inæqualis, & non confirmata difficulter curationem admittit: hoc non intelligendum de complexione acquisita per febres,vt notauit Auicenna vndecima tertij tractatu primo capite

G secun-

ſecundo: Quibuſcunque in corde fuerint vulnera vſque ad eius concauitatem penetrantia citò per fluxum ſanguinis moriuntur; maximè ſi concauitas ſiniſtra vulneretur: eſt enim maior vehementia ratione facultatis. Item palpitatio eſt ſemper perículoſior, ſi cor lædatur ſecundum cauitatem, quam ſecundum venas, vel arterias; & iſti non poſſunt vitam prolongare viginti quattuor horarum ſpatio ad ſummum. hoc docuit Galenus quinto de ićteritia capite primo: idem docet Hippocrates 6. aphoriſmorum aph. decimo octauo: Si cor fuerit inciſum, actum eſt de vita. & in Galeni commento: Inciſiones autem cordis, & diaphragmatis non ſolidantur, quare ſemper mouentur. Si anguſtia ſit cauſa palpitationis, difficulter tollitur, non tamen malum eſt mortale: Galenus lib. 5. de locis affectis capite 2. ſi materia eſt in cauſa illius motus, qui fit inſtar vtrium, maxima cum difficultate recuperatur ſanitas illorum. Si ſit venenum in cauſa, ſiue extra, ſiue intra corpus genitum, aſſumptum, vel applicitum; rarò liberantur: Si fiet ratione iræ, timoris, letitiæ, vel ſimilium palpitatio, liberabitur, quoniam non præeſt vehementia, motus, & cauſa non protrahitur in longum, ſed tollitur in breue: vnde ea ſublata, tollitur & affectus: Si poſt tremorem accidat vomitus praſſinus, & tremor ſequatur, inditium præſtat ſpaſmi, vel mortis. præterea etiam ſi ſuper cor præſente palpitatione puſtulæ naſcantur, moriuntur illi ægrotantes in 4. die, & tales emittunt per os ſanguinem, & per nares: Tremor diu perſeuerans in palpitatione mortem inducit. nam mala complexio excedens debilitans virtutem tremorem inducit, & tremor prolongatus ſyncopem, & ſincope mortem, & aliquando mortem repentinam.

De indicationibus deſumendis in omni palpitatione.

CAPVT OCTAVVM.

Remediorum præſidia, quorum virtute vitia, & morbi profligantur, ſiue ſint indicata, ſiue requiſita, à rei natura ſunt elicienda. V.G. Si noſtrum inſtitutum eſt palpitationem Cordis curare, malum. i. illum motum cordis: Indicationes deſumentur à natura motus huius mali: Sed cùm natura mali motus huius conſiſtit in his, quæ in cor

agunt,

agunt,& in illum prauum motum confectum, Ac in ipso corde patiente, propterea in applicando medicamenta Palpitationi indicationes eædem desumentur ab illis tribus capitibus. Quare si ab agentibus in Cor scopi capiantur, tunc hauriuntur vel à morbo, vel à causa morbosa, vel à symptomate. Quod attinet primo ad morbos, si loquamur de his, qui curationem admittunt si sit in intemperie, Indicat auxilium per contrarium alterans: si fuerit in mala compositione, eò quia aliquis humor venerit in aliquam partem, & abstructionem induxerit illa in parte, indicabit auxilium deobstruens, materiamque euacuans: Si fuerit in soluta vnitate, indicat auxilium vnionis. Si verò præsidia capiantur à causis morbificis. Causæ vel sunt externæ, vel internæ. Si sint externæ, & adhuc permaneant, Veluti Ira, Timor, Ambiens calidius, putridum, pestilens, indicat auxilium remouens talem causam: si sint internæ, tunc præsidia desumuntur à materia, quæ pro sua diuersitate varia indicat præsidia. Vnde si materia huius causæ efficientis internæ consideretur panes diuersam naturam, & determinatam formam, siue substantiam. vt si ipsius substantia sit vaporosa, indicat auxilium discutiens, & euaporans, faciens eam insensibiliter euanescere: Si verò ipsius substantia sit humorosa, indicat auxilium euacuans determinatum humorem, vt melancholia euacuans melãcholiam, bilis bilem; & sic de ceteris Si verò hæ causæ efficientes considerentur penes materiei quantitatem, vt si quantitas sit copiosa, & superflua, indicat auxilium minuens, si deficiat, indicat auxilium addens. Si consideretur penes qualitatem, quare si qualitas sit prima, indicat auxilium per contrarium alterans, vt materia calidior auxilium contrarium refrigerans: Similiter si qualitas sit secunda, materia crassa indicat auxilium attenuans: Viscida detergens, & incidens, faciendo magis raram, Dura, emolliens: Putrida, exsicans: Venenosa verò non indicat, quia latet eius natura, sed requirit auxilium alexipharmacum, & per experientiam ei contrarium inuentum. Quod si consideretur penes locum; vel est in Corde, vel extra cor: si sit in Corde, non tamen impacta, & fixa, sed recenter fluxa in venis, aut in ventriculis ipsius, indicat præsidium tum deriuatorium, tum diuersorium: si verò sit extra cor, ita tamen, vt vel actu fluat, vel fluere possit in ipsum Cor, tunc indicat præsidium reuellens. Denique possumus respicere ad materiei generationem, vnde si

materia melancholica,vel biliosa, producatur à iecore calidiore,indicabit auxilium iecur refrigerans; si melancholia colligatur ratione lienis obstructi, oportebit primò obstructiones aperire, lienemque euacuare,& tandem corroborare: Si vapores maligni à Vermibus producantur vermes eradicare cum requisitis eius oportebit. Quod si præsidia summantur à symptomatibus: Si fuerit dolor,qui habeat rationem & symptomatis, & causæ (nam est symptoma rationæ causæ doloris, est & causa si comparetur ad operationes partis,quæ læduntur ob præsentiam doloris) sic considerato symptomate habet rationem indicantis, & tunc indicat illa, quæ remouent causam doloris, & illa, quæ obtundunt sensum, quæque continuitatem fouent, ac seruant: Sic si symptoma fuerit fluxus, aut sudor superfluus, quæ omnia habent vim & symptomatis,& causæ,indicat cohibentia.Si verò symptoma habeat vim,& rationem tãtum symptomatis, vt malus pulsus cordis,&c.,nihil indicat. Postremo sunt presidia, quæ ab ipso corde patiente præscribuntur in virtute caloris, cuius est fons, qui quidem indicat sui conseruationem,quæ fit per leuiter astringentia,& particularis proportionis; nam cordis pro portio in omnibus eius affectibus attendenda cautè est,præcipuè dum cor læditur per consensum. propterea cor ita nutriendum est, vt causis morbificis maxime resistat, & non ita facile per consensum affitiatur, & ideo in omni consensu, siue sit positiuus, siue priuatiuus semper vtendum est cordialibus vocatis medicamentis, quæ bezoartica vocantur,quæ non indicantur,sed requiruntur ab ipsa cordis proportione, quæ cum sit nobis ignota, semper conseruanda est per cordialia,quæ à proprietate agunt, & cordis proprietatem sibi similem viuificant.

De obseruationibus necessarijs ante palpitationis curationem.

CAPVT NONVM.

ANtequam ad Palpitationis Cordis curationem accedamus non inutile iudicauimus quædam necessaria patefacere, sine quarũ notitia, & cognitione multos errores commitere possemus in cura huius maximi affectus, propterea Auicennas vndecima tertij capite de cano-

canonibus vniuersalibus notauit in palpitationis curatione cordis; Primò, vt sit celeritas in eius cura; quoniam per cordis lęsionem totum corpus omnino patitur, cum ille sit fons, & origo omnium partium corporis, officinaque conseruationis caloris, tarditasque curationis huius affectus citam mortem inducat. Secundò in curatione affectionum cordis maxima diligentia adhibeatur, quoniam si committatur leuis error, in applicatione necessaria ei visceri, difficulter remediatur illi errori. Tertiò, vt euacuationes per phlebotomiam non fiant vsque ad animi deliquium, sed per epicrasim; nec ratione euacuationis, sed diuersionis solum. Quartò, vt in medicinis pharmaceuticis euacuantibus non adhibeantur purgantia maiora, sed solum mitiora, & cum medicinis cordialibus simul etiam semper bezoarticis dictis. Quintò in alterantibus quoque semper bezoartica adhibenda esse, & præsertim cum alteremus complexionem calidam, cum frigidis debemus admiscere cordialia temperata. Sextò, vt in adhibendis medicinis frigidis intus admisceamus aliquid cordiale medicamentum penetrans, quoniam medicinæ frigidæ debent adhiberi vt plurimum grossæ, & densæ. Septimò, In affectionibus cordis non sis contentus abscindere causam, sed oportet cor principaliter corroborare, cordialibusque confortare, cum sit omnium partium corporis basis, & fundamentum. Octauò, in omnibus malis cordis fugienda esse vehementer calefacientia, vehementer refrigerantia, & adstringentia, nam à calidioribus virtutis substãtia dissoluitur, à frigidioribus qualitas refrigeratur, astringentia cohibent excreméta, quæ in nutrimenti confectione generantur. Nonò, in Cordis intemperie frigida audacter vti licere calidis, in calida autem non ita audacter frigidis vtendum, quia hæc opitulantur corpori cordis discrasia calida laborantis, sed officiunt radici, nempe calido innato, quod est vinculum corporis cum anima. Decimò, nunquam ante corporis lenitionem vtendum remedijs purgantibus, sed illis, quæ spetiatim cor respitiunt à medicis bezoarticis dictis. Vndecimò, in curanda mala complexione pura, & simplici alterantibus solũ procedamus. Duodecimò, & vltimo inquirenda diligẽter est causa, & ea attendenda non neglecto corde, nam ea ignorata frustra medicamenta apponuntur ei, quinimo augeretur affectio, imo ad syncopem possunt inducere palpitantes, & tandem ad mortem subitaneã.

De

De cura palpitationis per Chirurgicum Fontem.

CAPVT DECIMVM.

PAlpitationis curationem per fontem chirurgicum aggrediendo in præsenti capite, cum palpitatio diuersimode considerari possit, à diuersisque causis oriatur, propterea ordine in hoc quoque obseruato capite in quattuor distribuam capita. In primo erit sermo de cura palpitationis ab aqua in pericardio contenta. In secundo sermonem habebimus de palpitatione, quæ fit ex crassis flatibus, siue ex pituita, siue ex humore melancholico natis, & ad Cor eleuatis. In tertio de palpitatione ab humoribus calidis, & vaporibus aliquando ab eis eleuatis. In quarto breui sermone loquar de cura palpitationis ex vermibus, & venenis: quanquam de eis postea particularem tractationem, & distinctam tradam. Verùm quoniam duo tempora sunt consideranda in hoc affectu; vnum est tempore accessionis, in quo cura distincta proponenda censetur, alterum in accessione superata, siue extra accessionem; & huius temporis quoque cura differrens in medium proponetur. In accessione cura instituenda erit diligens. Vnde respiciuntur omnia reuulsoria præsidia, per frictiones, ligaturas, aspersiones ex aquis frigidis, quoniam per hæc potius fit magis impetus in cor à spiritu calido vaporoso, in arterijs contento, ex frictione sanguis redditur tenuior, & calidior: ex ligaturis arctantur arteriæ, & sanguis motus per sua loca impeditur, & cum maiori impetu cor læditur, neque laudamus odoramenta calida, propter accessionem sanguinis, quæ illa inducere ponunt; neque pannos asperos excalfactos, quoniam illi spiritus nimis inflammant: hoc enim diligenter est obseruandum in spiritibus flatuosis calidis, & humoralibus. Veruntamen attendendum, quod pro varietate causarum, varia quoque debet esse curatio. si loquamur primo de palpitatione ex abundantia sanguinis, cum ipse aliquando suffocat vires, statim deueniendum est ad eius extractionem, illeque non erit extrahendus vsque ad animi deliquium, vt antiqui, propter præsentiam affectus, qui vires deijcit, vel deijcere potest, vt docuit Galenus primo ad Glauconem cap.4., sed potiùs per epicrasim,

ratio-

ationeque virium conseruationis: quare si immineret periculum inflammationis, à vena iecoraria, vel cōmuni proxima, vt docet Gal. 13. meth.cap.6.sanguis erit extrahendus,habito respectu ad ætatem, morbum,& vires ægrotantis, quare ille sanguis erit in causa deriuationis, & reuulsionis. Si vero non præest hoc periculum, ex oppositis venis, vel inferioribus sanguis erit euacuandus: ex inferioribus quidem, si suppressæ sint hæmorhoides, vterinæ purgationes,&c. vnde si affectio perseueret, euacuandus erit quoque sanguis ex partibus proximioribus, præsertim in plenitudine totius corporis à partibus primo inferioribus,mox & à superioribus quoque. Si autem vires imbecilles admodum sint, ad hirudines, & cucurbiculas scarificatas transeundum erit,dorso in inferiori parte eius (leuiter saltem subleuato corpore ab abundantia excrementorum) applicitas, paruas, leuiter scarificatas, non profundas, & cum pauca flamma: nam alia vice applicitas, tremorem pōtius quam subleuationem illæ inducerēt ægrotanti; multi quoque applicant hirundines venis sedalibus, brachiorum manuum, nec non etiam parti cordis. hoc si fiet, faciendum hortamur post multa remedia adhibita,& optime,corporeque diligenter purgato. In frigidis verò vaporibus, & humoribus, dimissa sanguinis extractione, laudamus alia,quæ superius adducta fuere,& ea cum vtilitate poterunt omnia administrari:veluti frictiones, aspersiones, ligaturas, & alia similia prompte adhibebimus, quoniam non erit suspectum sanguinem reddere nimis feruidum,& promptè cor petere,sed his scopis à centro ad circumferentiam prauos humores, & vapores diuertemus, & cor subleuabitur; extra vero accessionem, & ad præseruationem, & ad eius affectus curationem quoque considerandus erit primo modus inuasionis,& causa ipsius palpitationis. vnde si erit aqua in pericardio contenta, quæritur primo vtrùm conueniat venæ sectio, necnè. etenim Galenus,à quo acceperunt Aetius,& Paulus,absolutè in cordis palpitatione secant venas, dicuntque omnes illos,qui palpitatione fuerunt affecti,vena secta à palpitatione curatos,Galenus quinto de locis affectis secundo: & quia aliquis posset suspicari, illos non intelligere de palpitatione aquæ in pericardio: Cuius dubitationis auctores sunt lusitanus centuria 3.,Nicolaus Piso suæ practicæ cap. de Palpitatione, Fuchsius pariter lib. secundo cap.13.Hollerius 1. de locis internis capite

pite

pite 6. omnes isti in curatione aquæ in Pericardio sequuntur Galenum in sectione venæ loco superiùs citato: Ego oppositam sequor sententiam, & non video nec rationes, nec auctoritates prò istis. Auctoritas autem Galeni locis citatis pro istis non seruit, nisi per palpitationem genitam ex improbo sanguine, quæ grauet, vel obstruat, vel immineat periculum inflammationis in corde, & qui febre graui detinetur. idcirco Rondolecius, & Gordonius respiciunt hanc sententiam in aqua secari venam. Ratio quoque contrarium persuadet, propterea quod aqua, quæ reperitur in pericardio, nullo modo per sectionem venæ euacuari potest, quid igitur tentandum deijcere vires, quæ maximopere in istis affectionibus per sectionem venæ euanescunt? idcirco ego, corpore quoquopacto liberato à quantitate humorum, si erit robustum, & plethoricum, ratione reuulsionis extraherem sanguinem à venis oppositis, mox à venis proximis in pauca quantitate, vt docuit Galenus lib. curandi per sanguinis missionem cap. 19., postea applicarem cucurbitulam scarificatam ad regionem cordis, hoc idem docet Auicenna quarta primi capite de cucurbitulis: idem quoque confirmat Galenus si in inflammatione pulmonum adhibet hoc remedij genus, quanto magis ad cor est faciẽdum si corpus non erit plethoricum, & euacuatum, eum oportebit facere per pharmaciam leuiorem; applicarem cucurbitulam scarificatam eodem ordine, vt supra notatũ fuit. Si verò causa palpitationis (& est secundum caput) erunt crassi flatus, vel ex pituita, vel ex humore melancholico geniti, causaque erit frigida tunc, vel ea erit intemperies simplex cordis, & partium principalium, vel mixta cum materia, ipsaque frigida, quæcunque illa reperiatur cum Altimaro cap. de Palpitatione abstinẽdum est à sanguinis missione, eo si opus erit, vti oportebit reuulsorijs præsidijs, per deriuantia & diuertentia quæ periculum non apportant consumptionis virium, qua in re veniunt in vsum cucurbitulæ, ligaturæ, fructiones, aspersiones, odoramenta calida aromatum, cauteria, vesicatoriaque sine cantharidibus tamen in principio. s. palpitationis: In progressu verò, dummodò causa non sit orta à capite (quo in casu probantur cauteria in brachio dextro) semper ea partibus infernis applicanda hartamur, sed si adueniat, vt causa sit humor melancholicus, vel mixtio aliorum humorum, cum prædominio tamen melancholiæ, quanquam humor iste frigi-

frigidus,& ſiccus ſit,producitur tamen à iecoris feruore, vt Gal. notat tertio de cauſis ſymptomatum ſecũdo. Secanda erit primo vena iecoraria dextri cubiti, & ſi corpus erit ſanguineum, & plethoricũ, iecurq; habeat calidum,lienéque tumidum, à ſiniſtro quoque brachio ſanguis extrahatur, quinimo hæmorrhoides hoc in caſu animoſe erunt aperiẽdæ, & ſanguis extrahendus pro tollerantia virium. hoc docuit Gal.4. aph.25:& 6.in 6.epidemiorum vltimo, probamus quoq; & cauteria, & ſinapiſma,& alia huius ordinis remedia,vt ſuprà. Quod ſi cauſa palpitationis erit calida(& eſt 3.caput) in corpore repleto, ea vel erit ſimplex intẽperies,vel intemperies cũ materia: Vel erit palpitatio per eſſentiam in corde,vel per conſenſum ab alijs partibus,quælibet ſit, dũmodo calida extat.(prætermiſſa biliofa ſimplici,quæ rarò per ſe repetitur,in qua nulla conuenit ſanguinis miſſio.In ceteris verò,dummodo aliquid in contrarium non extet,ſemper extrahendus erit ſanguis.hoc monet Gal.lib.de palpitatione cap. 5. non vt cauſa primitiua, ſed vt cauſa ſine qua non, eritque euacuandus per loca oppoſita. hoc docuit Gal.lib.per ſanguinis miſſionem cap.9.,per venam iecorariam. ſ., vel communem: Si palpitatio vero ortum trahat a liene, ſanguis erit minuendus per eaſdem venas, ſed ſiniſtri lateris: nam hoc modo habebitur ratio partis,& mittentis,& ſuſcipientis. Si à iecore, per dextras partes,quæ venæ ſunt proximiores ei, & præſertim in principio palpitationis: In progreſſu verò primo per partem dextram, mox per ſiniſtram, ſanguis erit extrahendus. De cucurbitulis, ligaturis, frictionibuſque, iſdem ordo obſeruandus eſt extra acceſſionem, quemadmodum etiam in acceſſione, vt ſuperiùs monitum fuit, & hoc remedij genus nempe ſanguinis miſſio adducitur non vt curatiuum, ſed reuulſiuum potiùs; ſicuti & comprobamus fonticulos & ratione reuulſionis, & ratione euacuationis quoque. Quod ſi vermes, & venena fuerint in cauſa (& eſt vltimum caput.) palpitationis, quæritur. quid agendum ſit, propterea quod hæc cura ab alijs non fuit vnquam propoſita. Dico primo quod pertinet ad vermes, illoſque vt plurimum inteſtinales, cum aliquando illi cor feriant, & palpitationem inducant, dummodo illi non ſint in cauſa alicuius grauis inflammationis, ratione doloris, vel alicuius febris momentaneæ; quo in caſu probantur ſanguinis miſſiones ſecundum opus, & oc-

casionem, & per sectionem venarum, applicationemq; hirudinũ, & cucurbitularum & cum scarificatione, & sine sanguinis extractione, nec non & alia remedia chirurgica huius ordinis; quod si non sit in causa & inflamationis,& febris,abstinendum est à sanguinis euacuatione.Sic quoque dicendum de venenis indicamus, cum ea varia possint inducere symptomata, quæ si præstabunt notitiam caliditatis, inflamationis, & palpitationis in corde, siue illud venenum sit assũmptum, applicitum, vel infixum, quocunque modo agat, cuiuscunque generis sit (dummodo non sit frigidum) In principio semper extrahendum parum sanguinis (ratione diuersionis saltem) à partibus primo longinquis, mox à proximitibus; vel saltem à cucurbiculis scarificatis super partes dorsi inferiores, probamusque cucurbitulam magnam dorsi per rectitudinem cordis, & etiam regioni cordis scarificatas, pluraque synapismata in diuersis partibus applicita.

De cura palpitationis per Pharmaceuticum fontem.

CAPVT VNDECIMVM.

DE cura per fontem chirurgicum in superiori capite satis dilucide à nobis tractatum fuit, ordinis ratio expostulat, vt post illam tractationẽ de cura per pharmaceuticum fontem discurramus. & cum Palpitationis curatio duplex ante oculos primo proponatur vna in accessione; Altera extra accessionem, & paroxysmum. In Paroxysmo curatio debet consistere in spiritibus reficiendis, & conseruandis, vino,odoratis, cordialibus, virtutem sopitam reuocando, atque prospiciendo,ne in syncopem palpitatio desinat: Extra verò accessionem, & ratione præseruationis, curationisque huius affectus eodem ordine vtar; quo & in capite antedicto, distribuendo curationem in quatuor partes, quatenus scilicet genera principaliora facientia palpitationem quatuor etiam sunt. De cura primo loquar de aqua in Pericardio contenta: De flatibus, humoribusque frigidis secundo,qui procreant palpitationem, verba faciam : De materijs calidis final, & flatibus procreantibus hunc affectum 3. tractabo, & tandem de Vermibus, & venenis,

nenis, quæ aliquando sunt in causa huius affectionis, curam in medio proponam. Veruntamen quoniam antequam ad particularem harum tractationem accedam, necessarium primo est instituere purgationem generalem totius corporis, quæ quidem habeat quoque respectum ad hanc affectionem; propterea Primo loco lenienda erit aluus vel clysteri communi, vel aliquo medicamento lenienti. Vnde si corpus erit in ætate iuuenili, vel consistente, boni habitus, vtendum erit hoc medicamento in potione si placebit. exempli gratia.

Rec. Syr. rosa. sol. vnc. ij. s.
Mel. ros. sol. vnc. ij.
Aqua melissa. q. s. m. f. p. b.

Si vero medicamentum non placebit ægrotanti in potione, sed in bolis potiùs, Erit tale:

Rec. Electuarij lenitiui vnc. j.
Manna electa drac. iij.
Pulueris Contrahierua drac. 5.
Misce, & cum sach. f. boli

Glauconem, cap. 14., & etiã in 12. Methodi cap. 5. Nam in arte curatiua ad Glauconem vtitur nomine lypothymia, in 12. quinto vtitur nomine lipopsychia. Quare audacter dicendum est, re ipsa prædicta nomina nullo pacto dissentire in re, sed confundi inuicem ex Hip., & Gal. sentẽtia, nam eadem est pars, quæ afficitur in vtrisque, eadem symptomata, ac ad easdem causas consequuntur. Affectus autem, cum quibus syncope quodammodo conuenit, sunt lipothymia, vel liposychia, Asphyxia, Extinctio. Conuenit syncope cum istis affectionibus, nam in omnibus istis virtus pulsatiua confestim imminuitur, ita vt in omnibus his affectibus pulsus statim euadant Parui, Tardi, Rari, cum summa, & sensibili læsione, .s. imminutione omnium operationum, tam vitalium, quam naturalium; differunt tamen hi affectus per magis, & minus, nam lipothymia, vel liposychia est ille affectus, in quo virtus pulsatiua confestim quidem imminuitur, vt pulsus euadat paruus, Tardus, Rarus, & in quo paucum sensibiliter imminuuntur operationes omnium potentiarum internarum. Syncope Grecè, & syncopis latinè est ille affectus cordis, quo existente pulsus diminuuntur, & operationes etiam omnium potentiarum internarum, sed magis sensibiliter, quàm in lipothymia; ita quod syncope à causis validioribus dependeat, quam lipothymia. Asphyxia grecè, & Pulsus ablatus latinè est ille affectus, in quo hæc magis imminuta apparent, qui quidem à causa adhuc potentiori suboritur, & morti omnium affectuum proximior, ab eo vnico distans gradu, nam hunc absoluta tandem excipit mors. Extinctio verò dicitur ille affectus, qui quodammodo est priuatiuus, quodammodo positiuus, hic est omnium terribilium vltimus, & mors ipsa.

De essentia syncopis.

CAPVT SECVNDVM.

Syncope ex Gal. 13. Methodi 5., & ex Auicenna 3. canone Fen. 11. tractatu 2. cap. 6. nil aliud est, quàm præceps virium lapsus, propter spirituum imminutionem, & eorundem violentam aggregationem in Corde, Genus in hac definitione est lapsus, vel defectus, quod idem est: subita verò & viriũ se habet ex parte differentiæ, dixit vij iuiij,

vt osten-

vt ostenderet in syncope omnes potentias tam vitales, quam naturales, quamq; animales, quo ad sensum tolli, ad differentiam illorum affectuum, in quibus tantum vna, vel duæ ex his potentijs quo ad sensum tolluntur. quod autem necesse sit in syncope omnes virtutes quo ad sensum tolli, patet, nam vbi pulsatilis virtus collabitur, cum hæc sit ceterarum omnium radix, & fundamentum, est necessarium, vt omnes facultates deficiant: sed in syncope pulsatilis tollitur quo ad sensum, ergo in syncope necesse est alias quo ad sẽsum tolli, probatur maior. s. quod quando pulsatilis quo ad sensum tollitur, quod etiam alias tolli necesse est: Nam pulsatili quo ad sensum imminuta, & collapsa non est necessaria respiratio, cum non sit calor, qui ea tum pro refrigeratione tum pro spirituũ generatione indiget: quare neq; etiam spiritus vitales generantur cũ opifex sit oblatus: quo ablato quo ad sensum, est etiam necessarium, vt irrascibilis auferatur, quæ ab illo dependet, & etiam est necesse, vt & animales auferantur, quæ ab ipsis spiritibus vitalibus proueniunt: quia læso corde siue per essentiam, siue per consensum, est necesse, vt reliquæ virtutes, & principalia membra, in quibus consistunt, consequentur, & secundario afficiantur, ex Gal. lib. de vsu pulsuum 2., & 3. iure igitur dictum fuit, vitium hoc esse lapsum virium in plurali numero, quia non vna, sed omnes virtutes labuntur: Additum etiam fuit ex parte differentiæ: Pręcipitem: quia lapsus iste ocissimè in syncope fit, ad differentiam illorum omnium morborum, qui sensim, & sensim vires labefactant, donec tandem mortem inferant. Huic diffinitioni datæ à Gal., & Auicenna per causam formalem addunt causam effitientem, a quà producitur syncope, dicentes, quod istæ vires sic subitò defficiunt, quia subito spiritus quo ad quantitatem imminuuntur in omnibus organis, & magna ipsorum pars subitò dissipatur, & illi, qui remanent violenter aggregantur in corde, & sic subitò relinquunt propria organa denudata à proprio instrumento, quo suas efficiunt operationes, quæ postquam sunt derelicta, statim sequitur animi deliquium, & operationes omnes cessant, & fit syncope. Ex qua causa efficiente proxima patet differentia inter syncopem, & Palpitationem, nam palpitatio fit propter spiritus in qualitate mutatos, qui sic mutati remanent in proprijs organis, & nõ fluunt ad cor; Syncope vero fit propter defectum spirituum in quantitate

in om-

in omnibus partibus corporis,& reliqui violenter aggregantur in corde.Colligamus autem integram diffinitionem syncopes,quæ est: syncope est lapsus, idest priuatio quo ad sensum tantum (& istud est genus)subita: idest subito facta,virium idest operationum omnium, propter spirituum imminutionem, & eorundem repentinam aggregationem in corde,& hæc se habent loco differentiæ. Notandū autem quod iure in definitione syncopis, loco vnius differentiæ posita fuit causa efficiens,& immediata,à qua dependet hoc symptoma,non autem fuit positus morbus ipse,à quo etiā potest causari: quia magis apparet hoc symptoma causari ab hac causa,quam à morbo:dato etiam quod morbus sit causa eius,vt patebit: quare cum hoc symptoma sit accidens, & debeat definiri per additamentum, & id, à quo dependet, poni in definitione ipsius debeat: Cum magis appareat dependere à causa,quam à morbo. Sed statim aliquis ingeniosus dubitabit dicendo, syncopem dictum fuit fieri ab imminutione insigni spirituum, & in syncope tolli omnes operationes vitales, animales, & naturales: hoc tamen videtur falsum, & non videtur debere tolli pulsatio, & respiratio, cum in corde concurrant in facienda syncope spiritus, qui vt calidi indigent & respiratione, & pulsatione, dico verum esse in corde tali tempore remanere,& concurrere spiritus,sed non confusè(vt dubitatur)in corde, sed distinctè ad sua opera probè efficienda debitum ordinem, situmq; obtinendo,quæ omnia deficientes, & minimi obseruant. Notandum insuper,quod symptoma siue sit qualitas mutata, siue exiens mutatum, siue sit actio mutata; potest dependere à duabus causis, & aliquando ab vno,aliquando ab alia, vt dicit Gal. lib. de causis simptomatum 5. à causa,& à morbo; ita quod videtur velle simptoma posse causari etiam dato, quod nullus sit morbus in corpore. Sed satis est adesse causā internā,quæ valeat operationes alicuius partis lędere: Hoc tamē videtur falsum,& maxime de actione læsa, siue imminuta siue deprauata,quia videtur hoc symptoma semper fieri præcedēte morbo: nam Gal. dicit in lib. artis medicinalis primo ægritudinē esse illam, à qua malæ operōnes.i. vel diminutæ, vel deprauatæ veniunt ergo;patet ex eodē Gal. operationes deprauatas non prouenire nisi à morbo. ergo non dabitur symptoma,quod proueniat ab alia causa,quam à morbo cum itaq; symptoma sit accidens morbi, & oporteat symptoma definiri per addita-

dita-

ditamentũ, quare eſt neceſſariũ in ſymptomatũ definitione sẽper poni morbũ, à quo cauſatur, & in quo inhęret; quare cũ ſyncope ſit ſymptoma, oportet eã definire per morbũ, non per causã, quæ nõ eſt morbus, vt ibi fecit Gal., & male. Dico pro reſponſione, quod sẽper quando eſt aliquod ſymptoma, quod sẽper eſt aliquis morbus, & quod et eſt cauſa, & concurit ſimul, & vt cauſa, & vt morbus, ad cauſandũ tale ſimptoma: nã V. G. ſyncope eſt quo ad formã ſubitus viriũ lapſus factus tãquã à cauſa efficiente ab imminutione ſpirituũ & eorum aggregatione in corde: ſed imminutio ſpirituũ eſt etiã morbus totius corporis, quia reducitur ad imminutionẽ imminutã, quę eſt morbus, quare ab imminutione ſpirituũ prouenient hæc ſymptomata tanquã à cauſa, & tanquã à morbo: ſed cũ in hoc caſu quaſi nõ appareat morbus, ſed magis apparet hæc imminutio tanquã cauſa, quàm tãquã morbus, propterea ſyncopẽ dicimus fieri à cauſa, non à morbo: propterea hæc imminutio pariter apparet tanquã ſubiectũ, & cauſa efficiens, à qua ſymptoma dependet, nõ vero tãquam morbus licet in omni ſymptomate ſit efficiens, & etiã morbus. quare licet in diffinitione ſyncopes ſit cauſa & morbus, poſſumus tamẽ dicere eã definiſſe per cauſam, non per morbũ, cũ ſit illud, à quo depẽdet: dato quod ſit ſimul & cauſa, & morbus, magis tamẽ apparet ſub rõne cauſæ, quã morbi, cũ nullũ inferat damnũ vt morbus, ſed vt cauſa. Vlteriùs aduertendum, quod cauſa, quare, cũ in hoc ſymptomate adſit etiã morbus in magnitudine diminuta, denominetur tamen ſymptoma, & nõ morbus, eſt quia in hoc caſu magis vrget ſymptoma, quàm morbus, propterea ſummẽdo denominationẽ à magis vrgente, dicitur ſymptoma, & non morbus. Præterea conſiderandũ quod cauſa efficiens, quæ facit hãc portionem ſpirituũ, quæ remanet, concentrare in cor, non eſt expultrix, vt aliqui voluerunt, quia expultrix expellit, dũ eſt irritatata, irritatur autem ab excrementis, non vero ab alimentis, ergo expultrix non eſt cauſa efficiens huius affectus; ſed vera cauſa efficiens eſt fortis virtus attractrix ipſius cordis, cum cor ex Galeno 6. de vſu partium 15. in principio habeat fortiorem attractricem, quam ceteræ partes; & cum hæc virtus fortis attractrix ſit ipſa natura, & principiũ intrinſecũ cognoſcẽs valdè neceſſarios eſſe ad vitã ſpiritus, in hoc caſu facit, quod melius eſt, & attrahit reliquos ad cor, tanquã ad partẽ magis principalẽ, in qua magis poſſint conſeruari, & in qua coagulati poſſunt meliùs ſuccurere defectui horũ ſpirituũ, & alios gene-

L rare,

rare, quàm si attrahentur ad alias partes, propterea eos ad cor, & non ad alias partes, attrahit. Causa vero finalis cur in syncope, consumpta magna portione spirituum, illi, qui remanent, ad cor fluant: hoc est factum, vt illi, qui remanserunt, conseruentur, cum iste locus sit magis idoneus eos conseruare, quam alius, & vt ipsi huic defectui, tam spirituum, quàm potẽtiarum succurere possint, cum ipsi concurrentes ad hunc locum possint generare alios spiritus, & huic defectui succurere. Dubitaret forte aliquis dicendo definitionem esse malè assignatam, cum dicatur, est subitus virium lapsus ob spirituum imminutionem, & eorundem aggregationem in corde; quia videtur fieri syncope & absque eo, quod spiritus imminuantur, vt patet quando fit syncope ex timore; nam in tali casu spiritus omnes fluunt simul ad cor, & in ipso cõculcantur; & fit syncope; dato, quod spiritus nõ imminuantur: quod non imminuãtur, manifestũ est. Nam ipsi spiritus mouentur oẽs ad cor ab obiecto externo concepto sub rõne nocui, sed id, quod mouet sub rõne mali, mouet in genere causæ finalis ex Arist. 12. Methaph. 36, sed finis non habet imminuere, sed efficiens; quare patet in timore, qui est causa syncopis remota, vt infrà patebit, facere syncopẽ absq; eo, quod spiritus imminuantur. Sic ẽt syncope fit à gaudio tanquã à causa remota, tamen gaudiũ spiritum mouet à centro ad circunferentiam, & euaporat. Dico itaque satis esse ad hoc vt fiat syncope, spiritus omnes quòad sensum decedere ab organis sensus, & motus, & ab organis facientibus operationes naturales, vel vitales, & quando hoc fit statim sequitur syncope, sed non est necessarium in omni syncope minui partem, & partem, quæ remanet concentrari ad cor. Sed hoc conuenit tantum in aliqua syncope, & magis in illa, quæ fit à causis extrinsecis sub ratione causæ efficientis. In alijs verò, vt qui fiunt à causa extrinseca sub ratione causæ finalis, satis est in aliquibus tantum vnam harũ causarum proximarum adesse, in aliquibus verò tantùm alteram, quare ad id, quod obijcitur de gaudio, dico satis esse, syncopen fieri tantum à à gaudio ob imminutionem spirituum, & non ob eorum aggregationem in corde. Et hoc patet, nam cũ in tali casu omnes spiritus moueantur à centro ad circunferentiam, vult natura assequi illud appetibile, & cum ea per accidens omnia organa priuet suis instrumentis, & cordis spiritus etiam multum imminuat, & si sit forte gaudium, contingat

etiam

etiam illis omnes consumi, & inde sequitur mors; cum priuationem spirituum animalium, ac vitalium in organis factam statim sequatur syncope. patet in gaudio tantum imminutionem spirituum posse facere syncopem: non vero aggregationem in Corde. Obiter aliquis posset inquirere causam, cur facta hac forti syncope per gaudium ob imminutionem, & euaporationem spirituum, iterum restaurentur patientes, & possint iterum generari spiritus inseruientes ipsis organis, causa hæc est, quia naturæ extra misisse omnes spiritus, qui sunt in organis foris, penitet, & vult huic suo errori consulere: si spiritus non omnino à corde sunt euaporati, se recipit ad locum, in quo melius possit huic errori consulere, vt ad cor, & adinueniens aliquam portionem spirituum in corde, & materiam aptam ad eos generandos, si etiam remedijs auxiliabitur, cito conficit spiritus, & eos ad propria organa mittit, & creaturam subleuat à tali symptomate; quod non fieret, si omnino in corde essent sublati. De timore autem dico, timorem valere facere syncopem tantum per vnam causam, s. propter congregationem spirituum, non vero propter imminutionem eorum, cum hæc satis sit ipsi corpori, ad hoc vt priuetur proprijs facultatibus, & spiritibus: quod factum sequitur syncope, quod vnum non est satis, si debent hæc organa priuari ab aliqua re extrinseca spiritibus contraria, sed oportet quod in hoc casu sint duæ, s. imminutio, & aggregatio, ergo bona est syncopes definitio, & aggregatio, ergo bona est syncopes definitio: sed dubitare posset statim aliquis ex Auctoritate Galeni 12. method. cap. 5. syncope, & lipothymia orietur tamen perpetuò ex spirituum defectu, vel etiam propter spirituum alterationem, quod ibi videtur etiam intellexisse. Dico, quod quemadmodum à causa alterante, remissa tamen, possunt quidem spiritus alterari citra corruptionem. sed tunc non sequitur lypothymia, vel syncope. dicebat .n. Galenus quinto de locis affectis secundo leues cordis intemperantias virium dissolutionem, aut syncopen non excitare, sed pulsus tantumodo varietatem; Maiores vero non solum syncopē, verum etiam mortem ipsam inferre possunt: Ita à causa alterante vehemente, ratione cuius oritur præceps virium lapsus, non possunt spiritus citra propriam corruptionem alterari, cum .n. eorū substātia calida sit purissima, & tenuissima: hinc fit vt si patiantur à causa alterante vehementi secundum duas, vel secundum etiam vnam

qualitatem, facillimè propriã substantiam, & naturam amittant, quare ibi loquitur Gal. de alteratrice destructiua, & non de alia. Præterea neque ab ingenti febrium caliditate, neque Hecticarum siccitate fit syncope, quoniam non est tanta caliditas sufficiens, quæ possit illos corrumpere, & syncopen facere; sed solummodo ipsa sequitur, vbi cũ febre ardente fit transmissio biliosorum humorum ad os vẽtriculi, & ad partes neruosas, & vbi cum Hectica febre, vt dicit Gal. 1. ad Glauconẽ 14.; vel destillatio ad pulmones, vel febris putrida, & obstructio, quæ omnia, faciendo alterationem corruptiuã spirituum, faciunt etiã syncopen, & vehementem alterationẽ, quemadmodum etiã voluerit intelligere Gal. materias venenorum facere quatenus scilicet agant illæ non tantum in qualitatibus, verum etiam secundum substantiam corrumpant, & alterare spiritus alteratione corruptiua vehementi: Itaque secundum magis, & minus syncope, & lipothymia differunt.

De causis efficientibus proximis, & remotis syncopes, & lipothymiæ.

CAPVT TERTIVM.

Posita natura syncopes, vt ordinatè procedamus, reliquum est declarare, quibus de causis spiritus deficiant in ipsa syncope. Deficiunt itaque spiritus ex duabus causis potissimum, vt potest colligi à Gal. 1. ad Glanconem cap. 14., & 12. methodi à cap. 3. vsque ad cap. 8.; & ab Auicẽna lib. 3. fen. 11. tractatu 2. cap. 6. à duabus causis potissimũ: Vel quia non restaurantur, & regenerantur, quemadmodũ resoluũtur: Vel quia restaurati corrumpuntur. Non regenerantur aũt, vel læsa facultate ipsorum generatrice: Vel vitio obiecti: lęditur aũt facultas, dũ cor patitur intẽperiem notatu dignam, vel tumorẽ, vel obstructionẽ, vel solutam vnitatem. Porrò vitiũ est in obiecto, quotiescunque peccat in quanto, vel in quali: In quanto, vt dũ deficit aer, & potissimũ sanguis, vt euenit in atrophia, in fame naturali: In quali verò, vt dum aer est admodum vitiosus, vel pestilẽs, vel etiam sanguis fuerit prauus, & impurus, vt euenit in fame præter naturam, quæ fit in bulimo, nec non etiam in febri syncopali præsertim humorosa: si vero spiritus restaurati, & regenerati corrũpuntur, id dupliciter cõtingere potest, vel per præuiã alterõnẽ, vel citrà præuiã alterõnẽ; Si deficiant causa prẹuiæ alterõnis, hæc alterõ põt fieri, vt dicebat Gal. 12. methodi 5. vel à qualitate manifesta, vel à qualitate occulta: Alterõ facta à qualitatibus manifestis est,

si spi-

si spiritus corrūpātur ab assumpto opio, muccilagine psyllij, &c. Si vero qualitas sit occulta, & venenosa, hæc pōt prodire vel ab externis, vt ab aere fętido, corrupto, & maligno, ab Halitu cauernarum fœtidarum, à Ferris venenosis, à venenis inanimatis siue assumptis, siue applicitis; vel ab internis, vt à veneno intus genito, præcipuè ex semine, & sanguine menstruo in vtero præter naturam detento: Idem dicendum de veneno, in aliqua parte, vel in toto genito, vt in febre pestilente contingit. Si verò citra præuiā alterationē corrūpantur, id à duplici causa prouenire pōt. s. vel suffocāte, vel euacuāte: Causa suffocans duplex est, interna, & externa, interna, vel est materialis, vel dolorifica: Materialis, dum aut oppilatione suffocat, vt in syncopali humorosa, & præcipue si materia cum impetu feratur ad partes Thoracis, & ad cor, quia cum spiritus non inuenit spiraculū extinguitur veluti flamma ex superpositione alicuius operculi. Quod etiam contingit in Apoplexia, & Epiplesia, dū hæc, vt inquit Gal. 1. ad Glauconem cap. 14., maligniora sunt, vel mole comprimunt materiæ, vt in habitu Athletico: in Vteri præfocatione, dum ad superiora præsertim, vel ad latera recurit materia. Dolorifica vero, quia ratione doloris natura, vt ait Gal. *6.* in *6.* de morbis vulgaribus 7. comm. cum multo sanguine, & multo magis cum spiritibus, qui propter tenuitatem magis fluunt ad partem dolentem, vt ei opem ferat, & doloris causam à se expellat, accurrit: vnde propter multitudinem, & loci angustiam Spiritus Suffocantur, præcipuè si dolor occupet ipsum cor, & subinde os ventriculi propter maximam communitatem, siue sit dolor grauatiuus, vt in vehementi cruditate. In Bulimo: siue mordicatiuus à bile potissimum æruginosa, à vermibus: Vel extensiuus, vt in tensione à flatu; vel grauatiuus, & extensiuus, vt in frigido tumore: siue ex his mixtus, vt in eius erisipelate. Inflammatione, & calido tumore: Idem dicendū de tumoribus, & causis dolorificis omnibus Hepatis, Vteri, & aliarum partium, vnde ponit Galenus primo ad Glauconē decimoquarto Causam corruptionis spirituum esse dolorē vehementē dysentericū, Iliacū, & Colicū, & consequēter neruorū percussiones, & incisiones, & musculorū capitū, & maligna in articulis vlcera, omniaq; gāgrænosa, & depascentia. Causa aūt suffocās externa est timor magnus, & potissimū repētinus, & męstitia vehemēs: Causa euacuās & ipsa duplex est, prout vel sēsibiliter, vel insensibiliter euacuat.

Si sen-

Si sensibiliter euacuat, potest esse quilibet fluxus immoderatus, siue materiei excrementitiæ, siue alimentalis, siue fiat per secessum, siue per os; siue per nares, per vterum, per Hæmorrhoides, per partem vulneratam, vel apostematam, materia repletam, quæ aperta exeat, vel extrinsecus, vel intrinsecus, siue per sudorem, siue per artificialem euacuationem, vel clystere, vel alio modo: Si autem euacuatio fiat insensibiliter, hoc potest contingere propter causas internas, vel externas: Internæ sunt, nimia corporis raritas, & nimia spirituum tenuitas, quod præsertim euenit; vbi succi biliosi, tenuesque redundant, vt in syncopali minuta; externæ verò sunt animi accidentia, quæ ad extra spiritus mouent, vt ira, & gaudium, Ingens calor. Aestus ambientis Hypocausti, balnei, in quibus plerique animo linquunt; nec non corporis exercitatio immodica, violentaque, idem dicendum de intensissimis vigilijs, quæ spiritus magis inaniunt, quam sensibilis euacuatio. Hæc enim omnia habent vim spiritus dissipandi, alterandique corruptiuè, & insigniter.

De syncopes Differentijs communibus, ceterisque omnibus.

CAPVT QVARTVM.

Differentiæ in syncope capiuntur à duobus tantum. primo à forma, secundo à causis: differentiæ syncopes, quæ capiuntur à forma: Aliquibus pulsatilis facultas, & eius functio, quæ subito imminuitur, vehementer, & multum imminuitur, & tunc oritur syncope; vel minus, & non ita vehementer imminuitur, & tunc oritur lipothymia, quæ est affectus blandior. Differentiæ, quæ assumuntur à causis efficientibus, aliæ sunt syncopes, in quibus spiritus dissipantur, nónunquam per suffocationem, aliquando per euacuationem, siue ipsa fuerit sensibilis; siue insensibilis. A causa efficiente, quæ spiritus dissipat, capiuntur differentiæ. Nam ab hac cor interdum patitur per essentiam; & hoc dum scilicet causa agit non solum in spiritus ipsos, verum etiam in ipsum cor, vt accidit in cordis intemperie, mala compositione, & soluta vnitate: nonunquam patitur per consensum, dum scilicet causa agit tantummodo in spiritus, tanquam in præcipuum facultatis organum, ipsũ

de-

destruendo; & dum spiritus afficiuntur, siue imminuentur, siue suffocentur. hic fit vel à toto, eo quia humores sint tenues, & cutis rara, vel quia mali humores fluant à toto corpore ad Cor: Vel à parte, vt si suffocentur ex concursu crudorum humorum ad cor: & si à parte, vel à Ventriculo, vel à matrice, vel ab aliqua alia corporis parte: sed vt plurimum fit per consensum à ventriculo, propter nimium sensum oris ipsius, propter appropinquitatem; & vicinitatem ad cor ipsum: & quia omnes habent neruos sextæ coniugationis, ideo hæ omnes sunt distinctiores in syncope aduertendæ differentiæ.

De signis syncopes.

CAPVT QVINTVM.

DVorum generum sunt syncopes signa: alia sunt diagnostica, alia prognostica. Signa Diagnostica syncopes ea etiam sunt duorum generum, nam quædam sunt diagnostica syncopes absolutè, pro quibus valemus cognoscere, an ipsa sit in corpore, necne: alia sunt Distinctiua causarum, per quæ valemus cognoscere, à qua causa fuerit ipsa causata. signa diagnostica syncopes ex Paulo lib. 3. cap. 34. sunt animæ defectus, pulsuum paruitas, extrema frigida, & in sudorem prorumpentia, apparet præsertim sudor circa caput, vultum, & ceruicem, ex Hip., & Gal. auctoritate primo prognosticorũ cap., vel tex. com. 26., qui sudores syncoptici appellari solent, quæ omnia innati calidi suffocationem, aut extinctionem portendunt. nam vtroque modo in syncope innatum calidum lędi solet; causa autem, per quam in syncope sudores, & hi quidem frigidi appareant, in lipothymia verò minimè, est, quia cùm in syncope vires magnopere oblesæ sint, confugiatque calor innatus, qui remansit, ad Cor, tanquam ad propriam Arcem; pauca quantitas remanens in parte, derelinquensque quo ad maiorem partem, partes extimas: illa parua pars, quæ remanet in partibus solidis, cum sit debilis, sequitur quod & retentrix illarum partium sit debilis: & per consequens quod alimentum, quod ad illam partem confluet, retinere non valebit: quare cum ipsum alimentum, sit tenue, & leue, cum non possit contineri in membris propter labefactatam retentricem,

cem, propterea quia per paruam caliditatem, quæ remansit in illis mē-bris, viæ ipsorum sunt apertæ, sequitur quod & ipsum leue & alimentum, & excrementum subtile simul venient foras ad modum sudoris. Frigidi autem sunt sudores in syncope, eo quia pars ipsa est veluti priuata calore, qui valet illos calefacere, & adest ambiens frigidum, quod valet illos frigefacere, qua de re infrigidatis partibus solidis propter dictam causam, & existens frigiditas externa ea ambiēs, quod ex eis confluit vt sit frigidum necesse est. quare cum hi sudores frigidi veniant tantùm in syncope, iure syncoptici appellantur. In lipothymia autem non apparent sudores, quia in illa ita vires non decidunt, quod non valeant humorem alimentalem continere: sed est retentrix robustior, & propterea neque sudores frigidi in lipothymia apparent, vnde iure syncoptici, & nō alio nomine veniūt. Quoniā cor in syncope interdū proprio affectu, interdū per cōsensū laborare solet ex Gal. in lib. de locis affectis; dignosces quando ipsum cęteris partibus consentit ex proprijs indicijs illarum partium primo affectarum, ac ex symptomatis quibusdam, quæ quidem syncopen antecedunt, quemadmodum si afficiatur os ventriculi, & syncope sequatur, quæ stomachica dicitur, Vomitus nausea, aut dolor eiusdem partis, seu morsus quidam præcesserit, sic quoque affectis primo reliquis partibus cum corde consentire dicuntur sic postea sequitur syncope: Verum si nullum præcesserit signum alicuius partis affectæ, & syncope oriatur, nullusque alius affectus ipsam antecesserit, præterquam si immodica fuerit aliqua animi excandescentia, seu affectio, cor primariò affectum etiam iudicabis: Vbicunque autem fiat syncope per essentiam: aut forte dumtaxat sequitur cordis intemperiem, siue cum venenoso humore, siue non: nonnumquam verò erisipelas, aut inflamationem, aut alium quempiam præter naturam tumorem ipsius sectatur. Causarum efficientium, quæ remotè syncopen producunt, cognitio magna ex parte ex astantium relatione patebit, quædam à se ipso cognoscere poteris. Nos verò earum, quæ non ita facile patere possunt signa diagnostica proponemus, quæ tantum tres sunt. Maxima copia crudorum humorum: Flaua bilis, quæ os ventriculi, & deinde cor infestat: succorum raritas, idest tenuitas; & corporis raritas, vnde si à magna crudorum copia ex cruditatibus, vel alia quapiam occasione congesta synco[pe] excitetur, vna

cum

cum oris ventriculi,quod vocant offensione,cognoscuntur isti,quia his & præcordia inflata,& totum corpus ampliori mole,quàm pro naturæ modo cernitur:Tum color alijs ad albidius, quam pro naturali habitu, & aqua inter cutem laborantium, magis simile est mutatis : nonnulli etiam ad nigrius,vel liuidius, quos medici plumbei palloris appellant, omnibus vero pulsus minores sunt, quam pro caloris ratione, si febricitauerint, præterea obscuri, omninoque inæquales sæpe ea inequalitate ; quam systematicam græci vocant, semper vero ea, quæ in vno est ictu, vt vult Galenus duodecimo methodi medendi, & apud Aetium libro quinto capite nonagesimo sexto.Eos verò,qui in syncopen incidunt ex flaua bile,quæ os ventriculi infestat,tum ex dictis symptomatibus, tum etiam ex assidua oris ventriculi mordicatione, Anxietate,ac vellicatione,ac dolore cognosces. At si quis in syncopen incidit, eò quia spiritus,& succos alimentales adeo videmus esse pertenues, & cutem raram, habentque imbecillam per vniuersam corporis molem Retentricem facultatem, Expultricem autem immoderatiùs concitatam,vt proptérea in syncopen incidant:In hoc affectu facies statim apparet mortifera,& lethalis: Nasus acutus,occuli concaui : adstricta,vel collapsa tempora, & reliqua deinde apparent, quæ ab Hippocrate 1. prognosticorum sunt conscripta textu 7.,& 8. quamuis aluus non multum excreuerit, neque vigilauerint, & tristes fuerint, aut fame afflicti egri ipsi;ex his enim apparere facies mortifera minus malum est,quàm si absque his emaciati fuerint,eodem Hippocrate Auctore 1. prognosticorum tex.8., & Gal. tũ dicto commento,tum 12.methodi medendi capite sexto,quem secuti sunt Aetius capite 98. libri quinti, & Paulus cap.37.libri secundi, & alij quoque.

De prognosticis syncopes.

CAPVT SEXTVM.

PRognostica signa syncopes plura sunt, eaque præsertim : si syncope valida fuerit, medicinæ locus non est, vt vult Paulus lib. 3. cap.34.

M

cap. 34. At si vires adhuc tantillum constent, aliquando sanitate restitutus est æger, vt ipse vidisse refert: Vbi vero cor proprio affectu laborauerit syncope, valido existente animæ robore, ex quibus affectibus ipsa vis animi excitetur, nunquam æger succumbit teste Gal. 5. de locis affectis cap. 1. si vero propter intemperiem cordis syncope eueniat, perniciosior erit, quàm illa, quæ prouenit cerebro primariò affecto: & perniciosior est illa, quæ prouenit cerebro primariò affecto, quam illa, quę prouenit iecore primo affecto, vt vult Paulus lib. 2. cap. 38.; & Aetius lib. 5. cap. 99. Perniciosæ valde, & mortales sunt illæ syncopę, quę ex insigni inflammatione cordis, vel ex erysipelate: quæcunque excitantur: nam antequam augeantur, ægri moriuntur. non verò ita perniciosę sunt illæ, quæ ex simplici cordis intemperie oriuntur, siue æqualis, siue inæqualis ea fuerit, vt patet lib. 5. de locis affectis cap. 2. Pestifera autem est syncope illa, quæ ab extenuato spiritu, ac sanguine originem trahit, potissimum vbi imbecillitas adsit retentricis facultatis corporis totius, ac expultrix immoderatius concitata, & irritata fuerit. prorsus autem exitiosa syncope erit, si syncope generetur, dum corpus est refertum crudis succis, aut si generetur ex redundantia flauæ bilis, quæ os ventriculi infestet; Aut si generetur dum apostema residet in Ventriculo, aut in iecore, ex Gal. 12. methodi medendi cap. 6. Verùm si syncope fiat, non laborante ventriculo apostematibus, sed ventriculo quidem consentiente absque apostemate, & etiam ipso corde consentiente, istæ curationem magna ex parte admittunt, & istæ minus periculosæ sunt, quam primæ, vt colligitur ex Gal. lib. 12. methodi medendi capite tertio, & alibi quoque.

De indicationibus syncopes.

CAPVT SEPTIMVM.

Indicationes curatiuę cum à rei natura proficiscantur, & cum in definitione syncopes dictum sit, vires labi: propter spirituum imminutionem, & eorundem repentinam aggregationem in cor; idcirco ad huius symptomatis causas oculos dirigentes sancimus scopos elici debere, A spiritibus, à Causis ipsos imminuentibus, à causis eosdem aggre-

gregantibus, Et ab ipso corde. horum autem, vt vnicuique patere possit, quædam sunt exactè secundum naturam, & omnimodam conseruationem exposcunt, veluti sunt spiritus, & cor; quædam sunt penitus præter naturam, & eradicationem expostulant, sicuti sunt causæ, quæ spiritus quodammodo corrumpunt, atque diripiunt: quædam partim naturales, partim præter naturam existunt, & partim conseruanda, partim corrigenda quemadmodum sunt causæ spiritus ad cor repentè aggregantes. hæc enim aggregatio repentina si consideretur prout simpliciter aggregatio est, vt sic pendet à corde, & perinde à re secundum naturam, cor enim est illud, quod quemadmodum ex Gal. mente statutum fuit, spiritus ad centrum mouet: si vero consideretur in quantum repentina, hoc pacto causam redolet præter naturam, à qua cordis Attractrix ad spiritus aggregandos præter naturã impellitur, & hæc duplex esse potest. s. interna, & externa, interna est eadẽ, quæ spiritus imminuit, atque corrumpit, ob id enim violentè, & repentè spiritus à corde aggregantur, quoniam valde imminuuntur; externa potest esse, timor subitus, vehemensque à quo cum sit externus, & non habeat esse permanens nullo modo sumitur indicatio: Ex dictis patet a tribus, & non à pluribus, neq; à paucioribus indicationes hauriendas esse, nempe à spiritibus, à causis eos imminuentibus, & ab ipso corde, si igitur spiritus perpendamus, cum hi benè se habere dicantur, & optimè dispositi, cum debitam mensuram seruant in quantitate, qualitate, & motu, propterea relicta qualitate, quæ ad rem non pertinet, quia ipsa in hoc morbo non mutatur, debemus considerare quantitatem, & motum. Si quidem proposita fuit in hoc affectu eorum imminutio, & concentratio, quare ratione quantitatis imminutæ spiritus ex se indicant restaurationem, & proinde auxilium addens: nam ex Hipocrate sicuti medicina est subtractio rerum præter naturam, ita est adiectio rerum; quæ sunt secundùm naturam: ratione autem motus ad centrum per se indicant reuulsionem ad circumferentiam, cum autem spiritus imminuti ex se perpetuo indicent auxilium restaurans, & addens, & quoniã simile nutritur ex simili ex Aristotile secundo de generatione: ideo indicant alimentum tenue, & vaporosum: nam quamadmodum à solidis particulis, vt vult Galenus 12. methodi 3. indicatur solidum alimentum, à carnoso genere mediocrem habens consistentiã, ita à spiritibus

cap. 34. At si vires adhuc tantillum constent, aliquando sanitate restitutus est æger, vt ipse vidisse refert: Vbi vero cor proprio affectu laborauerit syncope, valido existente animæ robore, ex quibus affectibus ipsa vis animi excitetur, nunquam æger succumbit teste Gal. 5. de locis affectis cap. 1. si vero propter intemperiem cordis syncope eueniat, perniciosior erit, quàm illa, quæ prouenit cerebro primariò affecto: & perniciosior est illa, quæ prouenit cerebro primariò affecto, quam illa, quę prouenit iecore primo affecto, vt vult Paulus lib. 2. cap. 38. & Aetius lib. 5. cap. 99. Perniciosæ valde, & mortales sunt illæ syncopę, quę ex insigni inflammatione cordis, vel ex erysipelate: quæcunque excitantur: nam antequam augeantur, ægri moriuntur. non verò ita perniciosę sunt illæ, quæ ex simplici cordis intemperie oriuntur, siue æqualis, siue inæqualis ea fuerit, vt patet lib. 5. de locis affectis cap. 2. Pestifera autem est syncope illa, quæ ab extenuato spiritu, ac sanguine originem trahit, potissimum vbi imbecillitas adsit retentricis facultatis corporis totius, ac expultrix immoderatius concitata, & irritata fuerit. prorsus autem exitiosa syncope erit, si syncope generetur, dum corpus est refertum crudis succis, aut si generetur ex redundantia flauæ bilis, quæ os ventriculi infestet; Aut si generetur dum apostema residet in Ventriculo, aut in iecore, ex Gal. 12. methodi medendi cap. 6. Verùm si syncope fiat, non laborante ventriculo apostematibus, sed ventriculo quidem consentiente absque apostemate, & etiam ipso corde consentiente, istæ curationem magna ex parte admittunt, & istæ minus periculosæ sunt, quam primæ, vt colligitur ex Gal. lib. 12. methodi medendi capite tertio, & alibi quoque.

De indicationibus syncopes.

CAPVT SEPTIMVM.

INdicationes curatiuę cum à rei natura proficiscantur, & cum in definitione syncopes dictum sit, vires labi: propter spirituum imminutionem, & eorundem repentinam aggregationem in cor; idcirco ad huius symptomatis causas oculos dirigentes sancimus scopos elici debere, A spiritibus, à Causis ipsos imminuentibus, à causis eosdem aggre-

gre-

gregantibus, Et ab ipso corde. horum autem, vt vnicuique patere possit, quædam sunt exactè secundum naturam, & omnimodam conseruationem exposcunt, veluti sunt spiritus, & cor; quædam sunt penitus præter naturam, & eradicationem expostulant, sicuti sunt causæ, quæ spiritus quodammodo corrumpunt, atque diripiunt: quædam partim naturales, partim præter naturam existunt, & partim conseruanda, partim corrigenda quemadmodum sunt causæ spiritus ad cor repentè aggregantes. hæc enim aggregatio repentina si consideretur prout simpliciter aggregatio est, vt sic pendet à corde, & perinde à re secundum naturam, cor enim est illud, quod quemadmodum ex Gal. mente statutum fuit, spiritus ad centrum mouet: si vero consideretur in quantum repentina, hoc pacto causam redolet præter naturam, à qua cordis Attractrix ad spiritus aggregandos præter naturã impellitur, & hæc duplex esse potest. s. interna, & externa, interna est eadẽ, quæ spiritus imminuit, atque corrumpit, ob id enim violentè, & repentè spiritus à corde aggregantur, quoniam valde imminuuntur; externa potest esse, timor subitus, vehemensque à quo cum sit externus, & non habeat esse permanens nullo modo sumitur indicatio: Ex dictis patet a tribus, & non à pluribus, neq; à paucioribus indicationes hauriendas esse, nempe à spiritibus, à causis eos imminuentibus, & ab ipso corde, si igitur spiritus perpendamus, cum hi benè se habere dicantur, & optimè dispositi, cum debitam mensuram seruant in quantitate, qualitate, & motu, propterea relicta qualitate, quæ ad rem non pertinet, quia ipsa in hoc morbo non mutatur, debemus considerare quantitatem, & motum. Si quidem proposita fuit in hoc affectu eorum imminutio, & concentratio, quare ratione quantitatis imminutæ spiritus ex se indicant restaurationem, & proinde auxilium addens: nam ex Hipocrate sicuti medicina est subtractio rerum præter naturam, ita est adiectio rerum; quæ sunt secundùm naturam: ratione autem motus ad centrum per se indicant reuulsionem ad circumferentiam, cum autem spiritus imminuti ex se perpetuo indicent auxilium restaurans, & addens, & quoniã simile nutritur ex simili ex Aristotile secundo de generatione: ideo indicant alimentum tenue, & vaporosum: nam quamadmodum à solidis particulis, vt vult Galenus 12. methodi 3. indicatur solidum alimentum, à carnoso genere mediocrem habens consistentiã, ita à spiritibus

tenue, & vaporosum alimentum præscribitur; hoc autem alimentum cum ex duplici materia debeat esse constitutum, aerea scilicet, & sanguinea, propterea si de aerea sermo fiet; hæc in spirituum imminutione, & corruptione perpetuò necessaria est, & ideo odoramenta præcipuè tenuium partium siue calida, siue frigida, vt ex aromatis, & aceto prodeuntia, vt aeri maiorum exhibeant penetrationem assiduo commoda sunt; materia autem sanguinea non semper indicatur, quoniam si spiritus corrumpantur à nimia sanguinis copia suffocante, licet per se ex sanguinea materia reparentur, attamen ex accidenti, pro vt contingit ipsos à nimia plethora suffocari, indicant auxilium minuens sanguinem, quoniam detracta nimia sanguinis mole suffocante, quod reliquum est sanguinis optimum est pro spiritibus renutriendis, in reliquis causis suffocantibus, præter sanguinem, quæ etiam suffocantes sint, vt timor, copia crudorum humorum, perpetuò præter portionem aereã, indicatur etiam materia sanguinea, & proinde materia alimentalis, quę quam citissimè in sanguinis naturam abire queat, veluti sunt vinum, contusa, & similia. At verò motus spirituum ad partes intimas, quatenus repentinus, & quodammodo violentus, ex se indicat auxilium reuellens, & modo magis modo minus validum, pro vt maiori, vel minori cum impetu retrahũtur, & pro ratione causæ, cuius occasione à corde concentrantur. V.G. si causa sit suffocans indicatur auxilium reuellens validum, imò si sit timor, vel nimia plethora, validissimum: Verum si contingat spiritus concentrari, quia imminuantur ratione causæ euacuationis interdum indicatur auxilium ad extra reuellens. V.G. si euacuatio sit sensibilis, & fiat per determinatas partes. si fiat per partes inferiores, vt per vterum, vel sedem indicatur auxilium reuellens, sed partibus superioribus admotum: si fiat per os, per nares, & summatim per partes superiores, hoc reuellens auxilium debet partibus inferioribus admoueri: sed si altera ex parte contingat spiritus exinaniri per omnes, vel saltem per plures corporis partes, & per ambitum totius corporis, siue euacuatio sit sensibilis, vt in superfluo sudore, siue insensibilis, vt in inedia immodica, in nimia sputuum tenuitate, & biliosorum humorum redundantia, aut nimia texturæ raritate contingere solet, tunc non modo auxilium reuellens fugiendum est, quia magis potest causa spiritus euacuans ad prohibendum, quam spirituum repentina aggregatio ad indicandum: Verum etiam ab hac causa inaniente

niente indicatur auxilium repellens, quod quidem habet vim refrigerandi, densandi, incrassandi, & proinde ad cētrum repercutiendi: quod spectat ad causas spiritus minuentes, pro earum diuersitate varij scopi erunt postea eliciendi, E.G. si spiritus nō regenerentur propter lęsam facultatem, & lędatur facultas propter cordis intemperiem per contrarium eam alterare oportet: Si vitio obiecti, & vitium sit in quanto, indicatur probum alimentum: si sit in quali, quia corpus scateat vitiosis humoribus, & hi crudi sint, & pituitosi, vt in bulimo, & in febri humorosa syncopali, exhibenda erunt concoquentia, humores adæquãdo, & impedimenta remouendo, attenuando, digerendo, & calefaciendo: Si spiritus regenerati corrumpantur per præuiam alterationem, & alteratio fiat à causa venefica, requiritur auxilium bezoarticum, hoc est venenis aduersarium, pro causæ veneficæ diuersitate, sed semper cordi amicũ, & familiare, quia semper lęditur cor: si vero corrumpantur citra præuiam alterationem: si id accidat ratione causæ suffocantis, si sit materia copiosa indicat auxilium minuens; dolor autem indicat auxilium obtundens sensum: fluxus auxilium astringens, & sic de alijs euacuationibus; & texturæ raritas indicat auxilium densans. Denique sunt præsidia, quæ capiuntur à corde, tanquam ab affecta parte, nam cor semper lęditur in hoc malo, vel per essentiam, vel per cõsensum: Cor autem sui conseruationem, & pro inde sibi similia exigit, quę siue indicentur, vt dũ rõne tēperaturę, & cordis calore vtimur moderatè adstringētibus, vt cor roboretur, & non ita facile dissoluatur; siue requirantur, veluti dũ gratia occultæ nobis proportionis, à qua tũ pulsatilis, tũ ceteræ cordis potentiæ emergunt, vtimur auxilijs non rõne, sed experimento cordi similibus cõprobatis, quæ cordialia vocantur.

De cura syncopes per chirurgiam.

CAPVT OCTAVVM.

QVanquam duo sint tempora curandi hunc affectum, primũ est in accessione, secundũ extra accessionē, & in primo tēpore videatur inconueniens, nempe tempore accessionis, extrahere sanguinem, cum syncope sit virium lapsus, & spirituum defectus, tamen ab hoc tempore incipiendo primo curationem, dico si syncope promoueatur à nimia plethora suffocante, oportebit etiamsi sint in accessione venã secare, adest enim nõ modo graue, verũ ēt grauissimũ sanguinis peccatũ, quia actu malũ vehementissimũ nimia mole producit, & sanguis ex se spi-

se spi-

se spirituosus est, licet ex accidenti spiritus à nimia copia obruantur in hoc casu Gal. quarto de ratione victus comento 20. aperiebat Basilicam: sed si plenitudo ex suppressis mẽsibus sit exorta, saphena aperienda erit: si suppressæ fuerint hemorrhoides, venæ partium infernarum similiter erunt secandæ. quantum spectat ad cucurbitulas: si fiat syncope à causa sensibiliter euacuante, & ex fluxu aliquo materiæ, sed per determinatas partes, ex Gal. 1. ad Glauconem cap. 14. in syncope ex fluxu sanguinis narium applicandæ sunt cucurbitulæ non scarificatæ hypochondrijs, dextro nempe, dum fluit ex nare dextra, syniſtro, dum fluit à siniſtra: Dextro, & siniſtro si simul à dextro, & à siniſtro fluat: In syncope autem ex immoderata fluxione mensium, applicandæ sunt sub mammis, quia hoc pacto respicimus reuulsionem, cum materiæ fluentis, tum spirituum, qui ad intimas partes feruntur. Vnde ijsdem omnibus de causis probantur etiam vehementes frictiones, & ligaturæ: & ideo etiam in syncope ex immoderato alui fluxu ex Galeni sententia vtendum frictionibus, & ligaturis supernarum partium: Infernarum vero in vomitu immoderato. Ijsdem remedijs, nempe cucurbitulis, frictionibus, & ligaturis multò magis vtendum est dum actu adest syncope ratione causæ suffocantis, quæcunque sit, vt spiritus, & materiæ, quæ retrahuntur ad intimas partes, ad externas reuocentur: Et si causa suffocans fuerit ingens dolor, hæc omnia remedia reuulsionis gratia in partibus oppositis sunt administranda: Ad hæc dum actu adest syncope, præter ea, quæ dicta sunt, oportet trahere nasum, capillos, & barbam, & alta voce proprio nomine vocare, & os vi aperire, & aliquid, quod facultatem excitet, vt sal, & aliquid aromatis, in illud immittere: Contra vero si euacuatio fiat per omnes corporis partes, & per ambitum totius corporis, siue sit sensibilis, vt immodicus sudor: siue insensibilis, vt in spirituum tenuitate, habitus raritate, & biliosorum humorum nimia tenuitate: omnia superius relata fugienda sunt & vtẽdũ flabellationibus, frigidis inspersionibus, & id genus alijs; quia magis potest causa euacuans per omnes corporis partes ad indicandum astringentia, & repercutientia, quam spirituum motus ad centrum ad indicandum reuellentia: Vbi autem in hoc casu astringẽtia primo fuerint administrata, & horum virtute euacuatio suppressa, si ægri non reuertantur, tunc licet aliquo pacto vti vociferationibus, & trahendo ca-

pillos,

pillos, spiritus ad exteriores partes reuellere: Idem est faciendum in syncope, quæ ex nimia inedia, & fame naturali fuerit excitata, nam frictiones, & ligaturæ omninò fugiendæ, & nullo modo administrandæ, quia dicit Hippocrates secunda particula aphorismorum aphorismo decimosexto, vbi fames laborandum non est; sed magis expedit ambitum totius corporis ventilationibus refrigerare, ad hoc vt alimentum, & corpus non ita dissoluatur, & vnctionibus refrigerantibus, & constipantibus, vel aliquo alio simili remedio administrare.

De cura syncopes per Pharmaciam.

CAPVT NONVM.

Medendi syncopi tempora cùm duo sint, nempe in syncope presente, & syncope ventu ra, propterea cum sint diuersa, diuersimode quoque secundum opus erit operandum, quapropter incipiemus à syncope præsente, videlicet quando ægrotans est in accessione syncopes ex Galeni sententia primo ad Glau. cap. 14. circa finem, expedit semper vti optimis odoribus; quoniam, vt supra dictum fuit, spiritus imminuti ex duplici materia, aerea videlicet, & sãguinea, sed potissimùm vaporosa reficiendi sunt. Ideò vbi solummodo deficiunt spiritus, non autem humores, quemadmodum accidit in virium expolutione, quæ fit ab immodicis animi affectibus, Galenus contentus fuit solis odoribus; quia in his non deficiunt humores. propterea loco citato dicebat: si vero ob tristitiam, aut gaudium, aut timorem, aut iram exsoluantur, odoribus, & narium apprehensionibus sunt reuocandi, cogendique ad vomitum: addit autem cogendos esse ad vomitum, quia in ira, in timore, in alijs affectibus, humores excrementitij & presertim biliosi, & tenues ad ventriculum effundi solent: ex quibus colligimus, ne dum in causa euacuante, verum etiam in suffocante odoribus occurendum esse. Si enim in ex solutione propter nimium timorem his vtitur Galenus, ergo in reliquis eiusdem generis causis non erunt inutiles: Hi autẽ odores sint diuersæ qualitatis pro causę diuersitate, v.g. in syncope ex causa calida, & euacuante laudatur aquá permixta cum Aceto, cum Omphacio sub naribus imposita. Ita laudatur

succus

ſuccus citri, Aurancij,& his eſt aſpergenda facies ægrotantis, & etiam intra os debent immiti, & oris partes irrigandę: inſuper Galenus pręcipit 12. methodi 6. in ſyncope minuta, quæ fit ex humoribus calidis ſubtilioribus, euaneſcentibus, egros eſſe inungendos adſtrictorijs vnguentis: Contra in ſyncope à cauſa frigida, nares, & partes oris obliniantur vino aromatico, dummodo dolor capitis non infeſtet, vel conſimilis. In ſyncope autem ex fame, ſiue naturali, ſiue præter naturam, vt in bulimo mirificè conducunt odores alimentales, ex alimentis prodeuntibus, vt ex carnibus aſſis prodeuntes: in ſyncope autem ex immodica ſuffocatione, & nimia ſpirituum concentratione, præter frictiones, & ligaturas, & alia omnia, quæ fuere propoſita, expedit intra os immitere Theriacam, vel Aromata; vel etiam Sal; vt facultas veluti obdormiens excitetur: ita proficua ſunt ſternutatoria ex ſucco maioranæ, Nigellæ, Naſturcij, & dum vrget neceſſitas ex elaterio cum lacte, quod ſi non poſſint haberi prima vice expedit vti turunda ex ſapone cum ſale, vel pipere inſperſa, & in naribus immiſſa, & ſi non ſternutent, nec reſtituantur, & nullum adſit vitium in meatu olfactorio, deſperata res eſt. Quod ſi fuerimus in præſeruatione, varia adminiſtranda ſunt pro diſcrimine cauſarum. V.G. ſi fiat ex vaporibus febris peſtilentis, occurendum eſt febri Electuarijs & epithematibus cordialibus, vel alijs ſimilibus remedijs exſiccantibus, aperientibus, & refrigerantibus: ſi immineat ſyncope ex materia biliosa ventriculum occupante, dandum eſt vomitorium, ſi eger ſit pronus ad illud, ex aqua tepida, vel Hydręleo, vel detur leniens, quod protrahat materiam ad infernas partes, & ventriculum roboret in hac forma.

Rec. Syr. roſ. ſol. }
Manna electæ } *an. vnc. j. s.*
Tamarindorum q. s. eſt cum iure f. b. p.

Si immineat ſyncope ex ſuccis crudis, & ſuperfluitatibus pituitoſis, occurendũ fructionibus, & ligaturis, & ſi nõ ita ſtatim immineat, laudatur ſpecies Hieræ: Mel. roſ. reſolutiuum, vel etiam poſſunt cum vtilitate vti clyſteribus cum hac intentione ordinati. Deinde dandi ſunt ſyrupi calefacientes in materia frigida, vt de corticibus citri, de ſtecade, cum decocto meliſſæ, Betonicæ, Hyſſopi, & propterea Gal. 12. methodi c. 5. circa finem loquens de febre ſyncopali humoroſa dicebat eis exte-

nuantia,

nuantia,calefacientiaq; medicamenta esse offerrenda.Licet etiam cum Auicenna,vt eos præseruemus,vti purgantibus,sed mitioribus,& semper permiscenda sunt Theriacalia, & aromata, veluti stechas, Melissa, & alia. V. G. ratione succi melancholici sic.

Rec. Epithymi drac.ij.& s.
Foliorum senna drac.ij.
Passularum dulcium drac.iij.
Gingiberis, Maccis)
Gariophylorum) an.scrup.s.

Decocti Borraginis,& melisse q. s. fiat infusio secundum artem. cui infusioni adde. Mellis rosati solutiui vnc.ij. Diagridij, vt sit stimulus ceterorum, & diu non permaneant in ventriculo, g. iij. misce f. p. b.

In materia pituitosa non est relinquendum agaricum, est enim cordiale cum cinamomo coenctum. Facta purgatione licet simile medicamentum parari.

Rec. Conserua Dianthos)
Ex Flor. Betonica) an.vnc.j.
Ex Flor. Melissa)
Gariophyllorum)
Macis)
Nucis Moscata) an.scrup.j.
Spec. Gallia moscata)
Moschi odorati gr.iij.

Cum syr.de corticibus citri fiat electuarium, & detur à drac. ij. vsque ad vnc. 5. Maximè in casu superiori, verum aduertendum moschum, ambram, crocum, & alia valdè aromatica antiquorum exemplo esse permiscenda in pauca dosi in comparatione ad alia, quia superflua aromaticitas potiùs nocet, quam iuuat. Maxime in hoc casu etiam probatur vsus aquarum Aponentium, & potio vini Guaiaci, vel extractum ex ipso ligno ad scrup. 1. cum vnc. iij. sui menstrui per plures dies: vinum autem guaiacum cum saluia, Melissa, hyssopo, & similibus: Extrinsecus autem licet vti hoc epithemate sic

Rec. Aqua, vel decocti Melissa
Saluia
Maiorana } *an. unc. ij.*
Amaraci
Borraginis
Nucis Moschata
Gariophilorum } *an. scrup. j.*
Cinamomi praparati
Xyloaloes
Corticum Citri } *an. drac. j.*
Seminis Ocymi
Ambra, Moschi. an. g. v.
Croci g. iij.
Vini odorati un. ij.

Misce pro epithemate. & cordi applicetur vel cum panno scarlateo, vel spongia, vel filtro, vel simili: laudatur etiam Theriaca ad totum pectus dissoluta cum vino generoso, expeditq; etiam vti inunctione ex oleo costino, Nardino, Amaracino, & liliorum alborum, cum aromatibus, vel cum puluere ligni aloes, macis, cinamomi, exigui croci, galliç moschatç cum pauca cera secundum artem fiat linimentum cum pauco vino odorato, quod regioni cordis apponatur; licet quoque applicare sacculum hoc modo paratum.

Rec. Flor. roris marini
Saluia
Maiorana minut.
Serpilli } *an. p. s.*
Calamenti montani
Stechados
Gariophyllorum
Macis
Cinamomi } *an. drac. s.*
Styracis Calamyte
Ligni aloes
Ossis de corde Ceruin. 1.
Muschi, Ambra an. scrup. s.

Con-

Contundantur omnia craſſo modo,& fiat ſacculus de ſerico ſcarlateo, qui continuò geſtetur ſuper regionem cordis. & vt aer aſſiduo ſit correctus,fiat pila odorata in hunc modum.

Rec. Gariophyllorum)
Macis)
Nucis muſchatæ) an. ſcrup.ij.
Ligni Aloes)
Styracis Calamitæ drac.ſ.
Zibetti optimi)
Moſchi Orientalis) an.g.vij.
Ambræ Griſſæ)

Cum ſucco de corticibus citri, addita portione balſami nigri occidentalis ſecundum artem fiat pila, & continuò æger eam odoretur, & alia ſimilia, quæ infinita in medium proponi poſſent, ſed quoniam in curatione palpitationis longo ſermone de multis mētionem fecimus, ne tedioſus appaream, ſilentio pertranſibo omnia, cùm ſatis dilucidè ſuperius de illis locuti fuimus. Vnum tamen neceſſarium remanet non ignorare;cor continuo corroborandum eſſe,cum ſit ipſe fons coloris, & ab eo omnia dependeant.ne autem ignoretur quę habeant vim cor conſeruandi,& roborandi,operæ pretium iudicauimus in medium diſtinctè declarare omnia ne à medicamentis vel applicitis, vel aſſumptis cordialibus corroborantibus lędatur. Quare aduertendum, cor poſſe roborari vel ab his, quæ agunt ſecundum qualitates manifeſtas, vel ab his, quæ iuuant à tota ſubſtantia, hoc eſt, ſecundùm proportionem,& proprietatem occultam,cordi quidem familiarem, & amicam: his autem quæ cordis proportionem deſtruere poſſunt inimicam. Si loquamur de his, quæ agunt ſecundum qualitates manifeſtas: hæc agunt per qualitates primas,vel ſecundas,quæ agunt ſecundum qualitates primas hæc ſunt temperata, vel etiam alicuius caliditatis participantia: Si verò agunt ſecundum qualitates ſecundas, ſunt duplicis generis, Adſtringentia ſcilicet,& odorata. Nam adſtringentia ſpiritus,& calorem vniunt, & roborant: Odorata verò ſpiritus confortant, ideò dicebat Auicenna omnia aromata ſummatim eſſe cordialia. Si verò loquamur de his, quæ iuuant à totalitate ſua, quæ propriè dicuntur bezoartica, hæc enim ſunt duplicia, nam quædam corroborant cor

à proprietate occulta, à qualitatibus manifestis adiuta, vt crocus, & spica; quorum proprietates à caliditate, & adstrictione temperata, & ab aromaticitate adiuuantur; quædam cor confortant per proprietatem occultam à manifesta,& euidenti qualitate non adiuta,vt est Hyacinthus, vel aliud simile. His igitur vtendum est pro corroboratione cordis, & modò calidis, modò frigidis, pro vt ratio causarum cordis suadebit. Imò licet etiam continuè temperata permiscere, quatenus scilicet cordialia sunt. Frigida sunt Acetosa, Violæ, Acetositas Citri, limonum,Coralia,Margaritæ, Bolus Armena, Terra sigillata,&c. Calida vero Zedoaria, sericum crudum, Melissa, Ambra, Moschus, Costum, Enula mirabilis. &c. Temperata sunt, Aurum, Argentum, Hyacinthus,Granata, Lapis Bezoar,Gemmę omnes. quæ omnia sunt adhibenda pro cordis roboratione.

De Cura Syncopes per Dietam.

CAPVT DECIMVM.

EXpeditis omnibus illis necessarijs pro cognoscenda natura,causis, & curatione syncopes, remanet solum vt de victus ratione in hoc affectu constituendo loquamur, quoniam hoc capite absoluto ad integram perfectionem omnia reducta erunt.propterea primo quoad Aerē:Ipse ab omnibus inquinamētis purissimus esse debet, & cor cordialibus alterans, & si immineat syncope ex causa suffocante sit temperatus,si autem immineat ex causa euacuante, sit frigidus, adstringens,Rosis,Myrtis,Cidonijs alteratus: si vero sit in accessione,aer potius ad frigidum vergat: vnde Gal.6. in 6. epidemiorum 13., & in primo ad Glauconem 14. in syncope ex sudore, iubet,vt domus eligatur ventis obuia, & altaretur aer refrigerantibus,& densantibus. Quo ad Cibum, in syncope imminenti pro diuersitate causarum, diuersus est instituendus cibus. E.G. si immineat à causa venefica,vt in febre pestilenti, exhibenda est aqua carnis alterata cum acetosa, quinque folio, auro, margaritis, & alijs. Similiter imminente syncope à causa inaniente,& euacuante,laudatur ab Auicenna aqua carnis destillata,quæ, vt inquit ipse,est fortioris nutrimenti, quam sit vinum, & vt ipsa sit

etiam

etiam auxilium crassefaciens, potest addi in hoc casu. Carni caponis in malum punicū. Gal. similiter decimo methodi cap. 3. & 12. methodi cap. 6. loquens de syncopali minuta dicebat: Cibos his esse dandos, qui non admodum promptè diffluant, non aqua mulsa, nō ptisanæ cremor. Sed panis, & sorbitio ex Alica, & fructus austeri, & qui non facilè corrumpuntur: Contra in syncopali minuta, vel vt melius dicam, humorosa, quæ fit ex crudis humoribus suffocantibus spiritus in 12. Methodi cap. 5. dicebat Galenus exibere his oportebit non copiosè semel, neque quæ crassa, frigidave potestate nutrimenta sint, sed qui ex genere extenuantium, calefacientiumque sint, sic de reliquis causis dicendum: Quod pertinet ad vini potionem: si syncope sit in actu, occurrendum potius potu: quam cibo, quia isti masticare nequeunt: Inter potiones nulla præstantior est vino. cum ex Gal. secunda aph. 18. maxime, & confertim alat: quo tamen vino, ne patientes detrimētum aliquod suscipiant, omni cum cautela vtendum est. Quare si primo immineat syncope ex suffocatione, & propter materiā copiosam: Vinum ex Gal. 1. ad Glauconem 14. exhibendum non est, cum potius adimere spiritus, quam addere sit coueniens. Si verò immineat propter crudorum succorum copiam, & virtus non sit imbecilla, à vino abstinendum est, nam magis potest materiæ cruditas ad prohibendum, quam virtus ad indicandum: At si vires sint imbecilles, ne prorsus collabantur, viuum est exibendum: dummodo nec ventriculus, nec iecur phlegmone laboret. Quod si immineat virium disolutio propter causam euacuantem, considerandum an adsit febris, nec ne, & si connectitur febris, oportet perpēdere an accessio febrilis iam immineat, & sit proxima, vel Remota: si accessio sit proxima, & immineat lipothymia non est exhibendum vinum: si immineat syncope concedendum est, quia tunc magis potest virtus imbecilla ad indicandum, quam febris ad prohibendum: quare Galenus in 10. meth. cap. 3. cuidam iuueni non solum concedebat vinum, sed cum pane, alica, farre, vt substantia permaneret firma ad nutriendum. Quod si accessio non ita sit proxima, ex Galeno vinum exibendum est: nam febris parum potest in hoc casu ad prohibendum, sed olygophorum, & lymphatum, & quod recipiat aquam: si autem non sit periculū de febre, vinū præbere oportet;

& si

&c si immineat ex sudore, vel simili causa detur actu frigidum: si ex fluxu sanguinis, sit austerum, & astringens Quod si altera ex parte syncope in actu consistat, si fiat ex nimia plethora, non est exhibendum vinum, quia virtus à nimia copia suffocatur. Ad hæc, si æger detineatur Pleuritide, vel angina, vel peripneumonia, vel aliqua alia visceris præstantis inflammatione, principio, vel augmento, vinum debet euitari, sed loco eius possumus exhibere aquam carnis, quæ ex Auicenna, vt dictum est, magis nutrit, quam vinum, & vt velocis sit iuuamenti, & celerimè nutriat, immiscendum est aliquid aceti, vel succi citri, & idem obseruandum in febre maligna, & pestilenti, in qua quantum fieri potest vinum fugiendum est. in reliquis casibus, vt colligimus ex Gal. 12. meth. cap. 3. in fine dum loquitur de febre syncopali, siue minuta, siue humorosa, semper vinum præbere conuenit: hacq; qualitate vinum debet esse præditum, scilicet quod sit celeris digestionis, & boni nutrimenti.

FINIS.



ATTILII BVLGETII
PATAVINI
PHILOSOPHI, ET MEDICI
DE MORBIS VENENATIS,
VENENISQVE
TRACTATVS GENERALIS,

Cum ratione cognoſcendi, curandiq; venenatos affectus

Singulari Libro compræhenſus.

Patauij Anno à natiuitate Christi

M. DC. LVII.





Apud Ioannem Baptiſtam Paſquati.

Superiorum permiſſu.

ATTILII BVLGETII

De Morbis Venenatis

Et Venenis

CAPVT PRIMVM.

Intentio Auctoris.

PLato vndecimo de Republica, quem secuti fuerunt posteriores legislatores, legem reuocauit, proposuitque antiquissimam, vt nulli liceat nec administrare, nec docere venena; quinimo Hippocrates in Iuramento, quod omnibus medicis seruandum proposuit, docuit, nunquam alicui medico in animum, & mentem venire debere, traditurum se vmquam particularem tractationem de Venenis: Galenus quoque lib. secundo de antidotis reprehendit plures antiquos, qui hanc doctrinam diffusè tradiderunt, inter quos est Orpheus Theologus: Heliodorus Atheniensis poeta, Aratus, & alij quam plures. cùm enim hæc doctrina primo aspectu videatur iniusta, & in honesta, propterea quod propter eius notitiam, & cognitionem plura mala, & absurda sequi videantur in pernitiem .s., & labem corporis humani, ideo non immeritò apud ignaros, improbosq; homines, potius obscuranda quam manifestanda videtur: Veruntamen, cum hæc sit grauis, & insignis tractatio: atque ad manus sepè medicorum deueniant curanda corpora venenata, apud graues permultos scriptores magni, & excelsi nominis non fuit neglecta. Vnus enim Auicenna, Erasistatus, Dioscorides, Galenus; quos secuti fuerunt Mesues, Petrus de Appono, Arnaldus de Villa noua, & alij quam plures, tam antiqui, quam recentiores eam magnifecerunt. Cumq; venena sint inter res non naturales, quæ & ad salutem, & ad perniciem corporum administrari possint: Quid obstat, vt propter aliquos paucos, improbosq; homines hæc doctrina non abscondatur, cum magnam vtilitatem cognitio morborum vene-

nosorum, venenorumque simul corpori humano reddere possit. Venenum autem veneno medicamentum expertum, & comprobatum fuit, ita vt & bonum, & malum præstare eorum notitia possit, quatenus scilicet à probis, improbisque hominibus fuerint ad opus adhibita: vnde minime videtur à ratione, medicique munere alienum de ipsis omnibus tractare, ea tamen lege, vt hæc doctrina non possit aliquod corpori humano detrimentum afferre: dimittendo modum, tempus, dosin, eorumque compositionem, & arcana, quæ ignorantur, patefacere: sed de natura eorum singulis cognita si medicus tractet, minimè rem aut iniustam, aut inhonestam committit; quia cum sint à Deo, & à natura creata, & quamplura animalia illis pro cibo, & nutrimento vtantur, cicuta nempe capræ, & sturni, vt notat Plinius, vires, & naturas eorum omnium docere in genere (quemadmodum est in hoc tractatu facere nostrum institutum) haud inconueniens est: eò maximè, quia hæc notitia ad salutem humani corporis pertinet, vt diligenter agnoscatur, & intelligatur, quò possit caueri, vel infectis ab eis remedia præberi, & subministrari valeant. quare nos quoque excusatione dignos esse iudicauimus, si contra legem ita iustam, honestamque à Platone adductam nos dissentiamus, non vt contra ipsam videamur contrarium facere, sed vt aliquam vtilitatem humano corpori afferamus, quòd institutum nostrum sit, venenosorum morborum, venenorumq; naturas docere, & aliqua methodo facili tradere, non ad perniciem; sed ad salutem humani corporis: simulque ostendere, qua ratione liceat eorum omnia damna euitare.

De nomine essentiaque morborum venenatorum, & venenorum.

CAPVT SECVNDVM.

VNde nam hoc nomen, Venenum, originem traxit, non est ita clarum, vt aliqua non careat difficultate. Nomen enim hoc ad placitum fuisse impositum iudicatum fuit; sub aliqua tamen ratione, & fundamento, propterea quod cum immediatè contrarium sit, & inimicum

cum

cum cordi, & vitæ, motumque eius quamprimum de medio tollat, ideò nomine veneni iure nuncupandum visum fuit. Alij à vena desumpserunt nomen venenum, quia per eas currit, & per eas quoque interficit: Græci toxicum venenum nominarunt, & *deleterium*, à taxo arbore venefica mortifera, & lethali: nunc illi corruptiuum, nunc lethalem appellarunt. Nos autem communi nomine venenum, & venenatos affe. ctus nominare consueuimus, ita vt omnia illa diuersa, & varia in idem concurrant ad extinctionem, & consumptionem caloris cordis. Verùm de nomine parum est nobis curandum: Deffiniri autem potest affectus pernitiosus, & venenosus in hunc modum: Est dispositio præter naturalis cordis principaliter, immediate, & vehementer lędens actiones, ob eius vim veneficam, & corruptiuam. vt autem omnia clarè elucescant libranda erit deffinitio diligenter. Vocamus venenosos affectus dispositionem: quia cum omnis actio ab anima ortum ducat, omninoq; dependeat, & non à facultate animæ, vt alij sentierunt; cumque plures actiones anima producat diuersas, & diuersarum actionum varia instrumenta necessaria sint. hinc oritur necessitas, vt pro tali actione talis instrumentorum dispositio requiratur, quæ à medicis interdum vocatur auctor ipsarum actionum. Quæ cum bona sit, effectus bonos; cumq; mala, malos effectus producere videtur. Hoc idem docuit Galenus lib. de tremore, & rigore capite quinto. Bona igitur dispo sitio est sanitas; mala vero est morbus, igitur dispositio immerito dicitur morbus in præsenti deffinitione, & in simili casu, cum ea sit mala, & præter naturam. Cordis dicitur, cum ipsum absque vlla difficultate sit immediatum subiectum, & principalius in omnibus affectionibus venenatis, & venenis ipsis: sed quoniam aliquando euenit, vt videatur primo vitiari aliqua pars, antequam lęsum sit cor: hoc certè non fit nisi priùs cor lęsum sit: sed hoc euenit secūdum naturam, & diuersitatem venenorum, quæ respiciunt magis vnam partem; quàm alteram, quæ lęsio partis subsequitur vitium cordis, & non primario interuenit. Dicitur lædens immediatè actiones, quia proprium est morborum lędere immediatè omnes actiones, primo vitales, deinde naturales, & animales. Hoc idem docuit Gal. 2. methodi cap. quarto, intelligendo de lęsione legitima actionum, quæ fit à venenis, quæ quidem inter lęsiones omnes à morbis productos primū locū tenet, quæ cōuertitur sic: morbū scilicet
imme-

immediatè lędere actiones;& actiones lęsas sequi morbum dictum est. [vehementer] propterea quod effectus venenosi semper sunt in extremo, ac licet sit placida actio illorum semper deterior producitur effectus. Vltimo loco dicitur [ob vim veneficam] ad differentiam febrium grauium, & ardentium, quæ ledunt cor vehementer, & immediatè, non tamen venefica qualitate, quemadmodum in venenis, sed quantitate humorum, & qualitate praua. Vnde concludendum est, venenosos affectus non esse nisi dispositionem præter naturam cordis primariò statim, & maxima vi inficiendo actiones, propter eorum malam, venenosam, putridamque naturam.

De causis morborum venenosorum, proximis, & remotis.

CAPVT TERTIVM.

GAlenus primo prorrheticorum libro comento 17., & 75. sectione tertia, & 3. Epidemiorum libro probat venenosos affectus non semper productos fuisse à venenis assumptis, vel applicitis, vel aliquo alio modo, sed per se sine vllo prorsùs veneni auxilio in corpore humano venenosos affectus gigni: propterea de causis immediatis morborum venenatorum loquentes dicemus, quòd duplex est ordò cognitionis venenosorum morborum, causasque illorum intelligendi, vnus, qui continebit causas venenosorum affectuum, qui per se in corpore viuente nascũtur: alter erit, à quo auxilio venenorum quocunque modo introductorum in corpore viuente procreantur ea. De primo modo loquentes, de eiusque causis immediatis dicimus, causam horum omnium morborum nullam aliam esse, nisi vim quandam veneficam acquisitam à quatuor primis qualitatibus, agentem in corpus ipsi subiectum, & magis dispositum, à quo mixtum veneficum postea resultat. verùm venenum gigni in corpore potest dupliciter, vel per putredinem absque vlla mixti dissolutione, vel per corruptionem, in qua mixtum dissoluitur in fimum, terram, cineres, primam. s. materiam: Huius autem materia potest esse contentum, & continens. Contentum, & excrementum, & alimentum, vt sanguis menstruus, semen, & c. Continens, vt partes solidæ, in quibus calor putredinalis, & veneficus agere po-

re potest. Causa efficiens morborum venenatorum est calor, alterans, & corrumpens; nonnunquam formam in corpore viuente introducens humanæ naturæ contrariam, qua ratione venenum verè dici potest: si verò contentum euadit veneficum, tunc eius subiectum est excrementum, & concurrit vt agens, vt in morsu canis rabidi, qui ratione excrementi omnia excrementa in suam naturam veneficam, & deliteriam conuertit: Modò in continente, vt in febre pestilenti, dum calor partium solidarum igneus euadit, & præter naturam: Modò & in contento, & in continente, vt dum homo rabie corripitur, & calor est igneus, & præter naturalis, & in contentis, & in partibus solidis. si autem continens est veneficum, subiectum veneni est continens, vt in sphacelo, à quo ascendens vapor, & cor petens hominem celeriter necat; & totum corpus est subiectum veneni, non tamen totum veneficum dici potest: si vero putredo est cum mixti dissolutione ipsa quoque duplex est: alia naturalis, & alia præter naturam, naturalis dicitur, quando mixtum non calidius, sed potius frigidius euadit: præter naturalis vero è contra per exustionem, & assationem fit vt mixtum in cinerem degeneret: Itaque non omnis putredo dicitur venefica, sed tantum putredo in vltimo gradu, summa. s. putredo, & ea ipsa vocatur venefica, quæ etiam perficitur & ratione loci; quoniam, quæ in venis magis venenosa est, quam quæ extra illos; & ratione materiæ, nam si materia alimentalis putrescat, magis est venenum, quam si excrementitia, vnde deterior ex semine, quam ex sanguine menstruo resultat labes, hoc docuit Gal. 6. de locis affectis cap. 4. Et denuo ratione Agētis; quo, hoc potentius, & peius venenum gignitur: De secundo modo differendo dicemus, nempe de venenis, aut assumptis, vel applicitis quocumque modo, quædam operantur per suam qualitatem, quædam à tota substantia, seu proprietate, vt dicit Auicennas fen: sexta tractatu quarto Primum autem genus subdiuiditur, quia quoddam venenum est putrefaciens, quoddam corrodens, aliud mortificans, quoddam infrigidans, aliud adurens, aliud stupefaciens, aliud raddendo, quoddam oppilando occidit. Quæ vero à tota substantia occidunt sunt omnia venena, quæ fiunt in mixtis; vnde deterius est venenum ex plantis, quam ex mineralibus, peius ex animalibus, quam ex plantis, ipsaque

agunt

agunt.& manifesta, & occulta qualitate in corpus humanum, vel frigiditate, vel caliditate, vel vtraque excedente, vt calorem innatum superent. Ea ferrè agunt ratione, quæ ab occulta proprietate operantur, vel à tota forma, quæ licet nobis ignota sit, ad primas tamen qualitates reducitur. Vnde causa efficiens nulla alia est, nisi natura ipsa vniuersalis, quæ quæcunque potentia sit, solari calore tanquam proprio instrumento ad producenda omnia mixta vtitur, atque enumerantur inter venena. Quare causa materialis horum omniū triplex est; quoniā quidquid venenum inuenitur situm est tanquam in propria natura vel in vapore, vel in humore, vel in aliqua parte terrestri. Finalis vero causa, vt ex his alimentum multis animalibus, & vt medicamentum ex his corporibus adhibeatur.

Sub quo genere affectuum præter naturam morbus venenosus contineatur.

CAPVT QVARTVM.

Etsi à multis approbatissimis, & magni nominis medicis, affectus venenosos sub nullo trium generum ordine, nempe morbo, morbi causa, & symptomate, quæ à Galeno commemorata fuere, compræhendi posse, sustineatur. vnde alia genera modo totius substantiæ, modo formæ, modò etiam materiæ, illi inuenere, cum eorum opiniones à recentioribus præclarè, & diffusè fuerint reiectæ, dimissis omnibus quæstionibus, & omnibus rebus non necessarijs, examinabimus diligenter sub qua trium illorum generum serie certissimè venenati affectus contineantur. Veruntamen cum deffiniuimus supra illos, quod scilicet sit dispositio actiones lędens, quot erunt in rerum natura dispositiones, à quibus lęduntur actiones, totidem morborum genera esse necessarium erit. Dispositiones vero, quoniam sunt effectus permanentes corporum compositorum, operæ prætium est videre, quot sint compositiones, circa quas fieri possunt morbi. Aristotiles Peripateticorum princeps secundo de partibus animalium capite primo docuit tres in corpore viuente esse compositiones: Quarum vna fit à

qua-

qualitatibus primis elementorum, quæ sensui non patet. Secunda fit ex ipsis elementis,& est compositio partium similarium,nempe carnis,nerui, ossis. Tertia est ex partibus similaribus, nempe partium instrumentalium factura composita, nempe manus, pedis, aliorumque similium instrumentorum. Prima cum sit sola ratione contemplabilis omittitur. Aliæ igitur duæ dispositiones, à quibus oriuntur actiones, una similarium, altera instrumentalium partium, quotiescunque integra, & sana permanent, oritur sanitas; si uerò contrarium eueniat oritur morbus, & instrumentarius, & similaris, & quoniam ex his duabus oritur medium mixtum, nempe tertium genus morbi oritur, quod uocatur solutio continui: Neque per hoc morbos uenenatos reponendos esse in genere instrumentariorum, uel solutione continui iudicandum est: Cum aliquando fiant ulcera,aliquando uitietur figura, magnitudo, situs, & numerus, cùm hoc tamen non perpetuum sit, non est statuendum morbos illos reponendos esse in genere morborum solutionis continui: Propterea cum illi lædant cor ipsum, dissoluantque temperamentum & harmoniam, cumq; hoc pertineat ad partem similarem ipsius cordis; operæ pretium est fateri, hos morbos esse similares, & consequenter reduci debere ad genus malæ temperiei: quandoquidem temperies ipsius cordis destruitur. omnino a ui uenefica interdum secundum caliditatem,frigiditatem, & ueneficam siccitatem. Erunt igitur morbi uenenosi in genere similarium ponendi,& consequenter reducendi ad malam temperiem: quare cor cũ primario sit lęsum, aliæ partes uero si lędantur,lęduntur à proprietate ueneni post cor; quæ respicit magis unã partẽ, quã aliã, ut puta pulmones,caput,iecur &c. Vnde patet solutio illius difficultatis, quare cor in uenenis sit prima pars læsa, mox & alię. Dicendum hoc fieri ratione spirituum, qui primi sunt infecti, currentes, effugientesque ad cor, tanquam ad propriam sedem, contribuunt ei ueneficam qualitatem, & naturam propter eorum moram, non ui uacui, uel ratione attractionis, ut alij iudicarunt, neque aliæ partes infestantur antequam cor lędatur, etsi uideantur primo infectæ: principaliter, & primariò infestatur cor, & maior est infectio in corde, quàm in alijs partibus, ab eis non omittẽdo ille,suam naturam post infectionem cordis infestare ceteras partes secundum suam naturam,& proprietatem particularem.

P Di

De morborum venenatorum, & venenorum differentijs.

CAPVT QVINTVM.

VEnenatorum morborum propriæ differrentię desumendæ videntur à propria eorum causa materiali, quæ tota sua substantia deleteria est, & contrariatur vitæ. Hæc autem considerata in relatione ad humanum corpus, quod corrumpit, & in suam naturam conuertit, attendenda est, vel penes temperiem, & formam, vel penes proprietatem ab eis fluentem, vel penes originem. Si primo consideretur, vel magis temperamento, quam spetie, & forma humanum corpus necat, & sub ea tum frigida, tum erodentia venena continentur. Si magis verò forma, & spetie necans, sub hac Galenus putrefacientia venena compræhendit. Verum quoniam frigida, & erodentia venena in tenuiori substantia subsistunt: ideo illa solum deuorata nos interimũt, hæc autẽ nos extrinsecus attingentia labefactant, vnde pro eorum maiori, vel minori vehementia, & tenuitate, vel extrinsecus occurrentia, vel intus exhibita, varios morbos procreare, celeriores, & tardiores ad necem videmus. Quare colligimus, quod cum quattuor sint occultæ, & venenatæ causæ principaliores; totidem occultorum morborum, qui ex illis ortum habent, differentiæ, seu speties ponendæ sunt. Si quidem alij maximè ab inquinato, & infecto aere: Alij à simplici cõtractu: Alij à morsu, aut ictu: Alij denique à materia venenata, quæ intus sumpta, ac deuorata sit, contrahuntur. illa autem differenter necant, nam vel frigida, & errodentia, vel calida, & sicca venena: vel modo aliquo alio euacuãdo, putrefaciendo, corrumpendo, & quacunque alia mixta, occultaque qualitate interficiunt. Si vero materia venefica penes proprietatem ab ipsa forma specifica fluentem consideretur, pro vt proprietas illius veneni varijs corporis partibus aduersetur, siue sint principaliores, vt cor, cerebrum, & iecur; siue minus principales, vt pulmones, stomachus, vesica, & aliæ, vt varij insurgunt morbi, variæ quoque insurgunt differentiæ: sed occultorum, & venenatorum morborum præcipua genera ex principibus partibus oblęsis, Corde. s., cerebro, & iecore, constituenda censemus; tum quia venenosi nomine maximè digna sunt, tum quia

sine

ſine principalium,& præſertim cordis,læſione,etiamſi partes famulantes à venenis vitientur ſecundum eorum proprietates, niſi partium principum, cordis primariò ſequatur læſio,non merentur nomen deleterij, & veneni. & propterea, quæ deleteria cor ipſum primariò obſident, trium generum ſunt. Vel enim ab aere peſtilenti procreantur, & oriuntur febres peſtilentes cum peſte. Vel à venenis extrinſecus occurrentibus,quæ propria venena dicuntur, ſiue à mixtis inanimatis, ſiue à ſtirpibus, ſiue ab animalibus proficiſcantur. Vel tandem à venenis fiunt,quæ in corpore noſtro generantur, quales ſunt febres peſtilentes abſque peſte, ſemen corruptum in corpore, ſanguis menſtruus retentus; ſanguis concretus extra venas, aut alia corrupta materia, intus genita.Quæ vero cerebrum offendunt varia & ipſa ſunt,pro deleteriorum natura,& facultate, vt Hydrophobia,Solanum, Hydrargyrum, Torpedo,& alia.Quæ vero iecur inuadunt ſunt Lues Gallica,Elephantaſis, & ſimilia,quæ licet in illis partibus non realiter, & immeritò venenoſa ſimpliciter vocari deberent, cum non interimant,cor tamen in conſenſum paulatim præter primum inſultum attrahunt, & deleteria ſecundum quid vocari poſſuut, cum cor debiliter primo inſultu offendant per medium ſuæ venenatæ qualitatis. ſi vero differentiæ ſumantur penes materiæ venenatæ ortum,& originem,eadem methodo quemadmodum ſupra oſtenſum eſt de alijs hauriuntur illæ. extrinſecus tamen magis adueniunt,quam intrinſecus,licet aliquando intrinſecè occurant,vt notat Galenus 6. de locis affectis cap.5., vt in epilepſia à vapore venenoſo, palpitatione, ſyncope, alijſque multis morbis. de his autem ſatis. Venenorum vero differentiæ præcipuę, aliæ deſumuntur à mixto tanquam à genere,& hoc gignit vel venenum naturale, vel artificioſum. Venenum naturale facit differentias penes materiam, vel quantitatem,vel qualitatem, vel præparationem,vel operationem. Penes Materiam primo vnde venena fiunt, vel in elementis per accidens, vt aer peſtilens, ſiue ex corruptione corporum, vel per fumum carbonum, & aliquo alio modo: fiunt quoque in aqua, vt quando animal aliquod venenoſum aquam ingrediatur,vel intra terram, vt mineralia, vel ſupra terram, vt fungi, herbæ, & alia:vel in mixtis, & hoc per ſe vt plurimum,quare mixta deleteria vel animata ſunt,vel inanimata: vt in

mineralibus,chalcantho,arsenico,&c. Animatarum alia sunt uegetabilia tantum,ut Plantæ,alia sunt sensitiua,ut Feræ: Ex Plantis insurgunt uenena uel ex floribus,folijs,fructibus,fustis,uel ex radicibus. Ex feris quoq; alia oriuntur uel secundum totum,ut cantarides,uel secundum partes, ut in uipera, & hæ morsu, punctione,tactu, saliua, alitu, manducatione lædunt: ex his omnibus parantur pulueres, aquæ, & olea: hæc efficatiora, minus aquæ,minus adhuc pulueres;salia tamen sunt pessima. A quantitate,nam alia in minima,alia in maiori,alia in media dosi necant. A qualitate nam alia ab occulta, alia à manifesta occidunt, alia frigida,calida, sicca;alia odore,alia tactu,alia alijs medijs interficiunt. A præparatione, quoniam uarijs in formis ea præparare possunt: Denique à modo, quoniam alia putrefaciunt,alia corrodunt,alia stupefaciunt,alia strangulant, nimis euacuant,alia dissoluunt substantiam corporis humani, & alia alio modo faciunt uitam cum morte corpus humanum commutare.

De morborum uenenatorum, & uenenorum signis.

CAPVT SEXTVM.

NOmen deleterij,& ueneriosi affectus non mereri,nisi principaliores partes offensæ sunt, supra ostensum fuit, eo ordine tamen,ut effectus uenefici ab earum læsione producantur, propterea ordine eodem obseruato prius de morbis uenenatis; mox de ueneni signa nunc in medium sunt proponenda, producuntur autem effectus ab eis uel in intemperie, siue in praua compositione, siue in soluta unitate, siue in mutata qualitate, siue in actione lęsa, siue in exeunte mutato, siue quouis alio modo;uel producuntur à causa occulta,uel manifesta,uel fouentur. Nullum signum uniuersale magis securum deleterij effectus extat illo: quod cum ratione medeatur morbis suspectis per sua signa,& per præsidia appropriata, & communia, nihilque iuuamenti illa afferant, asserendum enim securè affectum esse ueneficum. præterea quando extat corpus sanum,& sic sanum sine causa de repente moritur,dicendum affectum esse ueneficum,propterea ab occulta, & uirulenta causa lædente proficisci credendum: qua in re si Cor uenenata materia petat,pulsus imbecillitas,

inor-

inordinatioque, retractio caloris ad cor relictis partibus cęteris: corporisque cadauerosi apparatus, syncopeque, & alia similia signa nascuntur. Si Cerebrum uero, igneus sensus, capitis grauitates, turbulentia omnium sensuum; uertigo tenebrosa, timores, abolitiones quinque sensuum, uel omnium, uel particularium; secundumque naturam materiæ uenenatæ tam frigidæ, quam calidæ, siccæ, uel mixtæ, inflãmationes, somni profundi, epilepsiæ, & alia similia: Si iecur, mutationes statim in totum corpus apparent, & secundum totum, uel secundum partem, uis omnis corporis disperditur. Pustulę, maculæ nigræ, liuidæ, excrementa alui cruenta, corrupta, fœtida, uomitus uariorum humorum, necnon & cruenti; urinæ nigræ, turbidæ, sanguineæ in multa copia, & similia signa apparebunt: si uero alias partes uenenum feriat, tam intrinsecus per se genitum, uel assumptum, quam extrinsecus admotum, omnia per sua signa debent inquiri, quæ omnia à relatione ægrotantium, uel existentium, debemus inuestigare, ut si ab erodente ueneno, à frigiditate, ab exustione, à putrefactione: morsu, ictu, uulnere, contactu, quæ oculis facile depræhenduntur, quare uarij affectus procreantur, qui uel erunt acuti, uel cronici, cogniti, considerata eorum natura non difficulter cognoscemus naturam ueneni & genericam, & specificam, quod nam scilicet uenenum procreare ualeat illos affectus Verum uenenorum propriorum signa in dua distribuuntur tempora: Vel enim in corpore uiuente tempore uitæ, uel in corpore extincto tempore mortis. Signa distinctiua corporis uiuentis, licet a Galeno primo de locis affectis capite quinto obscure, & secundum mentem antiquorum proposita sint, tamen quælibet species uenenorum, tam calidorum, frigidorum, uel alterius generis sua propria signa per experientiam habent approbata: Vt in calidis ęstuositas in extremo, sitis indicibilis, febris acutissima, syncope, incendium in corde, linguæ incontinentia, & alia huiuscemodi: In frigidis, immobilitas linguæ, corporisque sensus omnes orbati: dementia, epilepsiæ, apoplexiæ, lethargi, &c. In corrodentibus, exulterationes, & oris, linguæ, ęsophagi, doloresque uentriculi maximi, uomitus sanguinis, fluxus diuersi, euacuatio sanguinis per urinam, impedimentumque eius, tumores, phacelli, &c. In suffocatiuis impedimentum anhelitus: cum singultu, sopore, syncope frequenti, pupilla oculi occultatur, & solum apparet albus color, totius uentris, & partium extremarum frigiditas, & alia similia.

In putrefactiuis, febres exitiales, sudores frigidi, fœtida excrementa, rubent oculi, & lingua nigrescit, & rumpitur, cadit pulsus, vel minimus extat, &c. Ex animalibus, qui vel morsu, vel aculeo, sputo, vel saliua, signa. Galenus libro de cibis boni, & mali succi capite 1. quattuor principaliora in medium proponit, primum mortificatio partis percussæ, secundum putrefactio illius partis, tertium inflammatio eius, quartum dolor circa illam eandem partem, & cum hæc signa apparebunt in vulnere aliquo modo inducto in parte corporis humani, vulnus semper erit venenosus, & exitialis; alia quoque apparebunt signa in progressu temporis, quæ supra recensita fuere. vnde tempus non conteram in illis denuò manifestandis. Sed de signis post mortem, si cadauer secetur, quod infectum fuit veneno calido, corrodenteque, Gutturis erosio apparebit, eiusque nigredo, partesque omnes circunstantes erunt exulceratæ, ventriculus erit perforatus ad instar cribri in parte inferiori, cum partis nigritie, & si animaduertetur circa perforationẽ, colligetur materia venefica corrodens præsertim circa sinistram partem: apparebunt papulæ nigræ eminentes, vel liuidæ per vniuersum corpus, & præsertim in parte sinistra, casus fiet capillorum, aliquando vnguium, & si nõ decident vngues, apparebunt illæ virides, nigræ, malè olebit corpus, idque nigrum aliquando fiet. Si vero cadauer infectum fuerit veneno frigido, In partibus vitalibus, & animalibus, continebitur materia ventosa, deleteria, corpus erit magis induratum. Plinius lib. secundo, capite sexagesimo tertio notat vnum singulare, & infallibile signum, & est corpora veneno defuncta neque à Feris, neque ab Auibus tentari. Ratio est. quia quodcunque venenum, congelat, & exsiccat dulcem illam humiditatem, qua feræ delectatæ solent prosequi cadauera. propterea ab illis relinquuntur.

De prognosticis venenatorum morborum, & venenorum.

CAPVT SEPTIMVM.

GAlenus quinto de locis affectis primo scriptum reliquit, quod quemadmodum in manifestis ægritudinibus ratio se habet cognoscendi affectus naturam, & eorum exitum: Ita quoque in reconditis, vene-

veneficiſque morbis ratio agnoſcendi ſe habere debet: Nam quæ cor inuadunt deleteria,& venena, quàm citiſſimè vel interficiunt, vel ſuperantur: quæ cerebrum infeſtant tardiùs: quæ verò iecur omnium diuturniores morbos gignunt: cum enim animal gubernetur ab illis tribus præcipuis partibus; Per cerebrum motus contribuitur toti. Per iecur nutrimentum eidem: Per Cor vigor, calor, ſpiritus corpori viuenti: eoque læſo, cùm ſit vitæ fons, omnes vitiantur ceteræ partes. propterea inquirendus diligenter exitus omnium affectionum venenoſorum,& venenorum quoque: Veruntamen à tribus capitibus prognoſticum deſumendum iudicatur. Primo à veneni origine. Secundo à temperamēto, ac qualitate euidente. Tertio à forma, à qua proprium tum nomen; tum eſſe ſortitur. De origine. quæ venena adhibentur pro communicandis,& procreandis morbis ſiue ad intra, vel ad extra, vel quouis alio modo corpori viuenti, effectus,& affectus illorum ſemper magis lethales ſunt, quàm quæ in corpore humano ſua ſponte gignuntur, iſtique minùs acuti, minùs contagioſi, minuſque periculoſi ſunt. hoc notat Galenus lib. de cibis boni,& mali ſucci cap. 8. Si de venenatæ materiæ temperamento, apertiſque qualitatibus fiat ſermo, Venenum, quod nocet à tota proprietate, deterius eſt, quàm illud, quod nocet per ſuas qualitates primas. nam hoc habet multa adiutoria contraria illi qualitati complexionali: Primum verò minimè, vnde corpori calido temperamento prædito magis nocent calida,& celeriter, quam frigido temperamento,& ſic è contra; præterea magis periculoſa ſunt calida,& frigida venena, quam humida,& ſicca: Item, ſi venena calida cum frigidis comparentur, calida ſunt magis periculoſa, vt cito,& in exigua quantitate necant: frigida verò à natura ſuperari poſſunt: Inſuper ſi venenum ſit materiale, terreſtre, minus eſt periculoſum, quam aqueum: magis omnium aereum; celerime enim creaturæ per halitum, & prauos odores intereunt: Quæ autem contactu, morſu, aut ictu non adoriuntur; quia facilius dignoſcuntur, aliquaſque inducias præbent, facilius à medicis auxilijs ſuperari poſſunt, ſed occurrendum citò cum ſuis alexipharmacis. Quæ tandem per putrefacientia venena corpora infeſtantur, ægrè certè liberari poſſunt, præſertim dum tenui ſubſtantia venenoſa,& etiam lentore aliquo prædita ſint: ſi vero de forma materiali venefica loquamur; quantò maioris erit actiuitatis venenum,

num, tantò deterius erit, & contrarium vitæ, propterea putrefacientia propter formam contrarijssimam vitæ pessima sunt: omne enim venenum cum inueniat corpus magis dispositum vel per multitudinem humorum, vel per debilitatem partium, vel per rariorem texturam, compaginemque, tantò facilius ad necem corpus inducit. vnde symptomata subsequentia nobis declarant veritatem, & Auicennas lib. 2. fen. 1. cap. 4. Ipsa manifestat syncope frequens, occultatio pupillæ oculorum, ruborq; eorũ, incontinentia linguæ intra os, casus pulsuum, sudorq; frigidus; hæc omnia declarant difficillimam curationem ipsorum venenorum. Sed aduertendum si citò animaduertantur signa venenorum, & ipsis consideratis diligenter cognoscetur natura veneni, applicitisque remedijs statim bezoarticis proprijs pro eis debellandis, non impossibile est omne venenum superari posse.

De indicationibus morborum venenosorum, & venenorum.

CAPVT OCTAVVM.

SCopi, qui inquirendi proponuntur pro debellandis affectionibus venenosis, atque venenis, derelictis communibus, qui à communi eorum natura, differentijsque nascuntur, & de proprijs loquendo dicerem eos desumendos esse & à causa venefica affectus illos procreante, & à parte, in qua hæc materia agit, corpusque ad necem inducit. Verùm Galenus undecimo methodi cap. 2. notat, quæ in occultis extirpandis morbis considerantur, quædam esse purè curatoria, quædam exquisitè præseruatoria, quædam uerò utriusque partis participia, & mixta: Curatoria sunt illa, quæ à communi ipsorum natura desumuntur, ueluti in intemperie affectus; In mala compositione; in soluta unitate consistunt, ab occulta uenenata materia eos procreante liberari considerentur: Præseruatoria exquisita dicuntur, quæ extrinsecè per earum cognitionem à uenenosa labe nondum inuadente corpus liberatur. Mixtæ autem naturæ sunt ea, quæ utriusque facultatis sunt participia; unde uel uirulenta materia affectus sensibiles procreauit, & requirit potius curatoria præsidia: uel ab eadem materia uenefica affectus quisquam genitus non est, sed expectatur ut fiat, & sic præsidia mixta postulat. Quatenus uerò causa agens in corpus

pus cùm ratione huius sit affectus præter naturam, præsidium perscribi potest curatorium; Hoc idem habemus à Galeno loco citato, quamuis quoque asserat, nos occultis morbis non per indicationes à materia desumptas uenefica, sed per experientiam debere mederi: hoc tamen intelligendum est, non ratione morbi occulti, sed ratione qualitatum manifestarum præsidia methodica perscribi posse. Itaque quod pertinet ad indicationes desumptas à materia uenenosa: illa uel corpus inuasit, & morbos, & symptomata procreare intendit, antequam ulterius progrediatur: Galenus 13. methodi cap. 6. notat quamprimum hanc esse eradicandam siue per medicamenta purgantia, siue per attrahentia à centro ad circunferentiam; ubi si non possit eradicari alteretur: Alterabitur autem per contraria præsidia, non solùm secundum communem indicationem in alijs morbis à materia productis non uenenata, sed penes uenenositatē, per contraria alterantia mediocria, quæ respitiant temperamentum, & formæ proprietatem contrariam, & meritò illius spetiei utendum erit remedio ab ipsius formæ proprietate cōtrario mediocri, nam si frigidum sit deleterium, calidum debet esse præsidium: si calidum, frigidum, si humidum, siccū; si siccum, humidū, & sic de mixtis, attendendo gradū, & mensuram alexipharmaci, & euacuantis, & alterantis, ut non parum, non nimis contribuatur corpori uenenato, nam in peius terminaret corpus. hoc est præceptum Galeni quinto simplicium capite decimo octauo: itaque hoc est attendendum in manifestis qualitatibus: In occultis uerò ab ipsa forma, & occulta proprietate, quæ promanat; præsidia debent esse media inter illa, quæ lędunt; ac deleteria sunt, & ea, quæ iuuant, & corpus alunt. unde si naturalia remedia, & alexipharmaca non inueniantur artificialia administranda erunt, quæ contrariantur, tum manifestis qualitatibus, seu temperamento, tum occulta proprietate rei deleteriæ, quanquam etiam contrariari dicuntur præsidia, quæ à similitudine totius substantiæ euacuant: unde & illa quoque ad extra administranda sunt. hoc idem notauit Galenus quinto simpliciū capite decimo octauo. Indicationes à loco affecto, quatenus scilicet uel cor, uel cerebrum, uel iecur, pulmones, uesica, & aliæ partes, uenenum secundùm suam spetiem, & naturam feriat, & occupat, post eius eradicationem, uel alterationem, sublatisq; plenitudine, obstruc-

tionibus,& alijs similibus consequentibus totius; & partis particularis, corroborantibus præsidijs secundùm naturam partis vtendum erit proprijs bezoarticis sic vocatis, & complexionem partis conseruantibus,& corroborantibus ipsam à proprietate cordiali, siue bezoartica, qui diuiduntur, vt ait Galenus quinto simplicium capite decimo octauo,in deleteria,& alexipharmaca præsidia, quarum prima deleteria sic dicta venenatarum belluarum ictus respitiunt, alia venenis assumptis per alexipharmaca medicamenta medentur, quæ à proprietate sua respitiunt cor,ipsumque reparat à viribus venenorum,& omnium malignorum humorum,qui destruere valerent cordis robur.

De venenosorum morborum, atque venenorum curatione per fontem Chirurgicum.

CAPVT NONVM.

IN quacunque occasione medendi, curandique, & morbos venenatos,& venena,vel ad extra, vel ad intra corpus ad necem inducentia,cum medicus vocatus fuerit ad patientem, Curationis principalis scopus ante oculos occurrit, vtrum sanguinis missio necessaria sit in curatione morborum venenosorum, & venenorum quoque, nec ne? cui scopo satisfacienti, dicendum erit venæ sectionem locum habere in morbis venenatis calidis, & venenis ipsis eiusdem naturæ, non autem in frigidis propter conseruationem virium. vnde si corpus fuerit refertum sanguine, qui vi veneni acrior, & feruidior sit redditus, quia etiam funditur sic sanguis, & fusus ampliorem occupat locum, vnde venæ apparent tumidæ. si enim hoc indicans appareat, & virtus vel coindicat; vel saltem permittat, sanguis est extrahendus à venis maioribus,& ratione uirium,& ætatis,& morbi, &.c. illæ autem venæ resecandæ erunt,quæ membro principaliter affecto respódent,vnde Corde,vel iecore affecto à basilica, seu iecoraria vena sanguis erit mittendus: Affecto cerebro cephalica erit secanda; quod si venenum adhuc ad partem præcipuam deductum non sit, vbi ex animalis morsu, aut ictu fuerit infectum, sanguis per venam eius partis, quæ lacessita est, vel aliam ei maximè propinquam mittendus erit: aut si remotiorem

pertundere cogemur, icta pars vinculo prius deliganda erit, ne in cor venenum statim irruat. Quod si venenum haustum, aut deuoratum in ventriculo, aut proximis ductibus eius subsistat, venæ infernæ, & malleolorum, vel hæmorrhoidalium, præsertim vbi ipsæ fuerint suppressæ, aperiendæ erunt. Si vires imbecillæ venæ sectionem non admittant, scarificatis cucurbitulis plethora tollenda erit, illæque probantur ab Auicenna reuulsionis gratia, & scarificatæ, & non scarificatæ ignobilioribus partibus, atque remotis affixæ, sicuti & ligaturæ dolorificæ, frictionesque asperæ, & similia: Veruntamen in animalium ictu, vel morsu Galenus 3. de locis affectis septimo laudat partis commorsæ tres, aut quatuor digitos, vt actissimè pars illa ligetur, mox illa pars amputetur. Hoc nostro iudicio non esse faciendum iudicamus, nisi prius omnia alia remedia adhibita fuere, quo in casu cum illa nihil iuuant, deueniendum est ad hoc remedij genus. Hoc notauit Dioscorides lib. 6. cap. 40. Itaque pars illa morsa est alliganda, vel si alligari non possit, medicamentis astringentibus, deffensiuis dictis, vtendum pro illis, & tunc deueniendum est ad exugandum ore vulnus partis: hac tamen obseruata methodo, vt non à ieiuno corpore hoc opus fiat, & os abluatur vino priùs generoso, vel in eius ore contineat oleum, vel tandem confricetur os theriaca: sed cum hoc opus à paucis fiat, & rarò, loco huius actionis, poterit applicari cucurbitula cum magna flamma, & locus profunde scarificetur. Si autem hoc opus fieri non possit propter aliquem respectum, loco huius Dioscorides proponit pullos Gallinaceos, vel Palumbos viuos accipere conuenit, & eorum podicem deplumatum demorso loco admouere, ita vt plures ex his animalibus viuis vnum post aliud subinde adhibeatur, donec venenum ex toto fuerit extractum, quare locus apertus per quadraginta saltem dies seruandus erit, apponendaque erunt semper auxilia extrahentia à centro ad circumferentiam venenum ipsum, super vulnus. imo fuit sententia Galeni 11. de simpl. medic. singulare præsiduum esse in omni vulnere venenosorum animalium paruorum, quæ vulnus infixerunt, corpora illorum trita ipsi vulneri affricari, & applicari consueuerunt præterea medici illi Aegyptij, in quorum regione plura animalia venenosa reperiuntur, vt notauit Auicennas 6. quarti tract. 3. cap. 1. confugere ad ignem, qui nō tantū venena, sed omnia mala superat, & ad pyrotica,

Vnde modò ferro candente, modò fune accenso, modò oleo vrente, interdum Pyroticis medicamentis occurebat. Cauteria quoque probantur, & pro præseruatione ante venenum, & pro curatione post venenum, temporeque præsertim aeris pestilentis, & epidemiæ. Vesicatoria etiam, spatio trium, vel quatuor horarum venenum superãt, & euacuãt, sed illa applicanda quamprimum, in diuersisque corporis partibus carnosis, secundumque partem à veneno occupatam. & primo in partibus ignobilioribus, & extremis, vt venenum à nobilibus ad partes ignobiles retrahatur, cauendumque in principio principiante administrare præsidia per sanguinis missionem à uenis, sed si opus sit, in principio principiato, ne ad cor magis venenum impetum faciat per venas, & arterias.

De venenosorum morborum, atque venenorum curatione per fontem pharmaceuticum.

CAPVT DECIMVM.

NEmini dubium esse debet, quin in venenatis morbis, & uenenis ipsis essentialibus, uel assumptis per os, uel applicitis quocunque modo, vel per ictum, uel morsum animaliũ, vel per sagittas, & enses; fine mora uirus foras quam citissimè sit exhauriendum priusquã inualescat, & ad cor maximè serpat. Duplex autem modus cum sit uenenum superandi, regulandiq; unus per medicamenta euacuantia, & per attractoria, à Gleno lib. 5. simpl. cap. 18. Epispastica dicta; secundus modus per alterantia. Euacuantia autem cum duorum sint generum, alia respitiunt totum, siue primas uias, cacochymiæ sublationem, obstructiones, & alia similia. Alia quæ respiciunt speciem ueneni, quæ magis unam partem, quam aliam infestat. De curatione utroque modo sumpta est disserendum, & quoniam omnia uenena breues inducias præbent, ut statim in cor irruant, ad necemque corpus conducant, ut non possimus quemadmodum ratio expostularet præmittere purgationem uniuersalem totius, quæ quidem fieri deberet, habita ratione ad temperamentum, ætatem, anni tempus, consuetudinem, & secundum opus corporis plethorici, uel sani, habitoque respectu ad naturam, & qualitatem ueneni, ut sæpe fieri potest in affectionibus uenenatis; quoniam occasio est præceps, cum ad-

sit præsentia indicantis urgentis,& quam maximè hoc omni industria,& ingenio quamprimum est de medio tollendum præsertim euacuantibus. Euacuabitur autem quatuor modis præcipuè Vel ore, Vel aluo,Vel urina, Vel sudore. quapropter primo loco aduertendum,quanam in parte moretur uenenum, an in primis uijs,an uero in penitiores sese ingesserit partes, & uiscera, ac radices fixerit potiores. si primum uomitoria, si secundum clysteres;si tertium medicamenta conueniunt. De uomitu primò attendendum,,ut fiat ipse quam primum,& ante omnia alia,medicamentisque placidis,ut ex oleo, butyro, lactis copia, decoctis familiaribus,uel penna,uel digito unctis oleo communi,uel amygdalino, fiatque remedijs, quæ uim emplasticam habeant, ut obtundatur mordacitas uenenorum, ut ex iuribus pinguibus,&c ,præterea uomitoria habeant uim incidendi, & attenuandi, ut cum oxymelite,uel aceto, insuper,ut in ipsis misceatur aliquod, quod possit resistere ueneno,ut mithridatium,pulueres bezoarticæ, &c. Ipseque tandem uomitus tantisper excitetur, donec uenenum consumptum sit,& corpus non admodum fatigatum,& si ipse uomitus excoriationem,uel inflammationem in faucibus induxerit. Vtatur per os etiam epicerasticis præsidijs,lactis copia, & similibus. sit exemplum uomitorij pro opere.

Rec. Aquæ tepidæ communis unc. x.
Olei maturi,uel amigdalarum dulc. unc.iij.
Mithridatij optimi scrup. j.

Misce,& fiat uomitorium.quod ualet pro omni materia. notat autem Auicennas si stercus Galli exibeatur in potu,omne uenenum per uomitum euacuari; Per aluum autem possumus euacuare & clysteribus, & medicamentis siue lenientibus,siue purgantibus. Probantur primo clysteres leuiores,mox ualidiores.sit exemplum primi.

Rec. Lactis vaccini l.j.
Olei amygdalarum dulcium) an. unc.iij.
Butyri recentis)
Theriacæ Antiquæ drac.j.
Salis communis scrup.j.

Misce,& fiat clyster: qui ante cibum immitti debet, si fieri potest; sin minus,quando opus est: Validioris uerò sit exemplum.

Rec.

Rec. Camomillæ, Consolidæ, Centaureæ, Malorum, Anthora, Bistorta. an. m. 5.

Agarici trochiscati in petia ligati drac. ij. fiat decoctio in aquæ com. q. s. s. a, & facta colatura,

Rec. Prædictæ decoctionis unc. x.
Olei amigdalarum dulc. unc. iiij.
Electuarij diacatholici unc. 5.
Mithridati optimi drac. j.
Salis communis scrup. j.

Misce, & fiat clyster, qui inijciatur ante cibum si fieri potest; secus omni tempore. Suppositoria quoque subijci possunt ex melle cum sale, communia dicta: & validiora, vt ex trochiscis alhandal, sale gemmæ, speciebus Hieræ, diacholocintidos, &c. Vnde si materiæ, quæ egrediuntur per secessum vlcerationes in intestinis, vel inflammationes inducant, epicerasticis præsidijs in clysteribus vtemur, ex oleis frigidis, ex lacte, butyro, pinguedinibus, cum decoctis refrigerantibus cordialibus frigidis, &c. Per os autem exhiberi possunt, & medicamenta lenientia, & purgantia secundum opus corporis plethorici, & naturam veneni debilioris, & fortioris, quæ vim, & substantiam veneni tollent, quoniam in venenis fortioribus sufficit vna vice adhibere lenientia medicamenta; in debilioribus verò pluries illis vtemur, & purgantibus quoque, & abstergentibus; quare in frigido veneno, aut in humidiori, aut non adeo calido, dum adest, vel pauca, vel nulla sic febris, potest præberi patienti hoc medicamentum.

Rec. Mel. rosf. sol. unc. iiij.
Specierum Hieræ simpl. scrup. iiij.

Cum decoctione betonicæ, vel scorzoneræ q. s. m. f. p. b. Hæc autem exhiberi debet quinque horis ante cibum: si verò placuerit medicamentum in bolis, sic erit ordinandum.

Rec. Electuarij lenitiui drac. x.
Specierum Hieræ simpl. scrup. iiij.
Pulueris contra hierue drac. 5.

Misce, & cum saccharo fiant boli, qui assumendi erunt quatuor horis saltem ante cibum; probatur quoque agaricum vel in substantia, vel in infusione, uel extractum eius, tanquam medicamentum rarum. In

calido

calido vero, & erodente veneno probantur syr. ros. sol., uel Violatus sol., uel syr. de polypodio compositus: hæc omnia in potione: In bolis uerò probantur Cassia, Diasebesten sine scamoneo, manna, tamarindi, diaprunum solutiuum, & alia medicamenta similia: his addendum est copia seri lactis caprini depurati, vel destillati. Probatur quoque rhabarbarum in substantia, in infusione, & in extracto: & alia medicamenta purgantia secundum naturam veneni, & humoris, qui erunt euacuandi. Si enim venenum inducias præbeat, & corpus sit maximè obstructum, semel, & bis pro necessitate erit corpus illud purgandum, postea vtendum remedijs de obstruentibus, siue apperientibus. vnde Galenus in frigidis, & humidis affectionibus non tantum benignis, sed etiam malignis primo aph.com.24. exhibet melicratum, in quo bullierint origanum, calamentum, Thimus, Agrimonia, Capillus Veneris, Pentaphylũ, Scolopendria, cetrach, &c. In veneno frigido, utitur oxymeli cõposito, uel scyllitico, syr. de prassio, de Agrimonia, & similibus: In erodente veneno, exhibet syr. acetosum, oxymel simplex, de oxalide, de acido Citri, &c. ad vnc. iiij. uel quinque. Si uero loquamur de Alterantibus: Et ueneficus morbus moram trahat, exhibitis prius deobstruentibus, postea alterantia exhibenda erunt, quæ uel manifestis qualitatibus, & tempeamento, vel tota substantia, & proprietate alterare possunt virus perniciosum. De primis in frigidis deleterijs probatur crocum, vinum potens, & aqua vitæ, cordialis, &c. In erodentibus deleterijs probantur ea, quæ acrimoniam contemperant frigida, & humida; vt oleum, butyrum, iura pinguiora, adeps vituli, & alia, vel ptisana cum lacte, vel decoctum seminum frigidorum minorum, & maiorum, dimissis antidotis maioribus in hoc casu: In pestilentibus autem morbis, & febribus quoque vtitur Galenus frigida, & styptica; & aqua oxalidis, scorzoneræ, Acetosæ, Borraginis, Buglossæ, Citrullorum, &c. Per odoramenta autem aqua rosacea, citrullorum, auranciorum, spicæ, &c. sic quoque per suffitus. efficaces autem sunt terra lemnia, bolus Armena, terra Samia, &c. Si vero de alterantibus à tota substantia loquamur, eorum quædam communi, quædam peculiari virtute præstant. communi, vt Bolus armena, Terra lemnia, smaragdus tritus sex granorum pondere. Iauonius lapis, Corallũ vtrumque, ad lapis Bezoar, gr. 6., Vnicornu, ad gr. 6., Margaritæ pręparatæ, Cancri fluuiales præpa-

rati,

rati, extractum sem.citri, vel sem. citon., Radix tormentillæ, Contra hieruæ;Scorzonere,Scordei, Betonicæ, dragmæ pondere cum vino;Balsamum cum lactæ propinatum, vt notat Galenus 6. simplicium; leporis coagulum; sanguis, Anatis; Ranarum ius: muli caro, sturnus exsicatus, omni deuorato veneno resistit ex Auerroe,Coturnicis,vel turdi exsiccati puluis, sanguis Caninus, & alia infinita simplicia. Composita vero & ea quoque plura sunt.Antidota maiora. Theriaca, Diatessarum pondere drac.ij.,Electuarium de Gemmis,de Hiacinto:Althermes conf.,Electuarium de Ambra, Trochisci de Gallia muschata, Elect. Diamargariton, Aquæ Theriacales,Diasulfur.,syr.de Gemmis: Aqua cordialis Saxoniæ. Elixir vitæ chymicum absque aquis corrosiuis.Sal Theriacale,Sal Gemmarum,Sal Corralorum,Sal Viperinum,Aurum potabile; & alia inumerabilia.Quæ verò peculiari virtute operantur, cognita natura ab effectibus venenorum, inquirenda erunt eius propria Bezoartica, vt v. g. Napello assumpto pro Antidoto illius Anthora adhibeatur, quæ antipathia quadam ei peculiari contrariatur.sic de alijs tam mineralibus,quàm animalibus, & vegetabilibus quæ omnia breuibus perstringam verbis, cum apud Auicennam, Petrum Aponensem lib. de Venenis: Sanctum Arduinum, & alios distinctam curationem,& particularium, & etiã vniuersalium, cum suis proprijs bezoarticis videre vnusquisque poterit.vnde communiter loquentes dicimus: In frigidis venenis ad calidiora; in humidis, ad sicciora confugere oportere, non ad calidiora maiora: In exurentibus refrigerantibus,aut temperatis, aut minus calidis esse vtendum; pro varia enim veneni spetie varia quoque bezoartica adhibenda erunt,quæ è monumentis bonorum auctorum petenda erunt. In horum enim recta administratione semper & ætatis, & totius corporis, & partium principalium,membrorum temperaturæ,& uirium,anni temporis, regionis,cælique status habenda erit ratio. Si enim uenena ad renes exitum habebunt, sententia est Auicennæ 6. quarti in progressu adhibere diuretica, habito respectu, ut corpus prius sit bene expurgatum.quo habito, adhibenda erunt primò diuretica leuiora, ut cassia, lac seminum melonum,maluarum,cucurbitę,& aliarum similium.mox deueniendum erit ad fortiora, ut ad terebinthinam lotam in aqua uiolarum, uel ad extractum eius,dum aquis stillatitijs diureticis,vt in aqua florum fabarum, florum cucurbitarum, &c. & si affectus in longum protrahatur deueni-

endum

endum erit ad ſerum deſtillatum in magna doſi,vel ad aquas naturales, vnde probamus aquam Beatæ Virginis ex monte ortono, Grafignanam,Calderianam, Villenſem, & alias ſimiles aquas. Si vero ad cutem pertranſeat venenum,tunc venenum eſt recentiſſimum conſideratum, vel quatenus vetuſtum, & exitum habens ad cutem: ſi primo modo conſideretur venenum recens, tunc ſtatim veniunt conſideranda ea venena,quæ extrinſecus inferuntur, ſine morſu, ſiue expuitione, ſiue afflatu,aut aculeo,quocunque modo alio inferant animalia venenoſa, nomine ſerpentum lato modo vſurpata, omnia illa in corpus humanum venenum inferrendo,vt notat Celſus,& Galenus lib. de Theriaca ad Piſconem 8; ſupra enim docuimus prouidendum eſſe venenato à ſerpentibus,vel alijs animalibus primo ligaturis, ſuctione,attractione, cucurbita, inciſione, vſtione, & cum caſus eſt diſperatus partis commorſæ extractione. Medicamentorum autem nunc poſitiones docentes in veneno recenti, proprietate ipſa alterantia debent eſſe, ſiue demorſo,ſiue vulnerato loco,ſiue Thoraci toti, cordiſque regioni, & arteriarum, quæ præcipuæ ſunt his omnibus locis applicentur remedia, inter ea,quæ vulnerato,aut icto loco applicantur,primum locum tenet Theriaca antiqua maior: commorſo autem à cane rabido applicatio pulueris cancrorum fluuialium, & Theriaca maior ipſa quoque maxima ſunt præſidia. Conciliator lib.de venenis probat inter omnia,& infinita,quæ à multis proponuntur; ſeptem illa ſimplicia. nempè Vincitoxicum,Helenium, Raphanum,Dictamum, Ariſtolochiam, Lactucellam,& Betonicam prætereа fouendus erit locus quocunque modo uenenatus pullo Gallinaceo euiſcerato,& ſuper uulnus applicito, eoque viuo reiterando, donec vulnus probi coloris,& ſine dolore remaneat. poſtea theriaca ſuperponenda erit, hoc autem fieri poteſt in vulnere humido venefico, donec theriaca amplius non exſiccetur, & tunc cognoſcetur ſanatam eſſe partem, & per conſequens ſuperatum eſſe venenum: si vero uulnus ſit admodum ſiccum, loco theriacæ lactucella apponatur, & tantum temporis reiteretur donec humida ſuper locum vulneratum remaneat, & tunc ulcus erit ſuperatum à veneno: ſi vero vlcus calidius ſit, camphora & ſimplex, & compoſita cum multis alijs anodynis, & alterantibus, refrigerantibuſque medicandum erit;

R Si

Si uero putrefacientia, uenena uel per alitum, uel alio modo inficiant corpus, tunc exhibendum erit Oleum Mathioli de scorpionibus, cum pauca Theriaca, inunctis omnibus præcipuis corporis partibus, omnibus arterijs magnis, naribus, tẽporibus, Thorace toto, testiculis, & Corde principaliter, omnibusque pulsibus, & partibus extremis, tribusque horis illinitio una post aliam repetatur super omnia supra dicta loca: Tempora enim pestilentiæ adhibitum hoc oleum rarum ad cor, nares, & tempora, cum portione moschi, uel ambra, pesti imponit fugam, sic & in uermibus. Laudantur prætereà omnia animalia trita, quæ ulcus uenenosum induxerunt, super ipsumque tãquam alexipharmacum applicita, nempè & scorpiones, extracta cauda, & caro uiperina detracto capite, & cauda secundum artem in morsibus proprijs summopere iuuant, & alia inumerabilia. Si uero loquamur de uenenis inueteratis cutem petentibus, corpore diligenter purgato, ueniunt laudanda, & balnea ex aquis naturalibus, uel artificialibus, & foueæ naturales sulphureæ, nitrosæ, & aluminosæ, & decocta cum, & sine sudore in stuphis, cophanis, zerlis secundum naturam, & speciem veneni uel appliciti, vel assumpti, infestantis magis unam partem, quam aliam; Quæ decocta componi possunt & ex ligno Guaiaco, & ex eiusdem cortice, vel ex ligni sassafras, ex ligno uisco quercino, ex ligno Iuniperi, Buxi, Quercus, Helenij, nec non Sandalorum rubeorum, albornm, & citrinorum, prætereà ex radicibus salsæ perilliæ, Chinarum secundum opus, & uenenorum naturas, & partes corporis occupatas ab eo veneno: Probantur quoque eorum extracta, si decocta non placebunt, cum suis menstruis. vt Rec. Extracti ex ligno Indico drac. 5. fiant pilulę 3., & postea bibantur vnc. iij. sui menstrui, & bene cooperiatur æger pannis, & exerceatur per multum tempus. vnde prouocabit sudorem blandum, & sanabitur æger. Probatur etiam lapis bezoar ad g 8., vel succus Ally ad vnc. ij. vnde pro consumptione totali illius veneni, omnia remedia rationabilia proportionata secundum naturam veneni corpori erunt applicanda, quæ quidem erunt administranda magis in substantia aquosa, & aerea, vt quam citissimè expellatur venenum, vt extractum ex magnis antidotis ad intra, & alia multa, quæ superius explicata fuere. Ad extra vero probatur inunctio Aetij, Oleum magni Ducis Hetruriæ applicitum cum moscho, & ambra, & camphoræ portione, & alia huiusmodi. Medica-

dicamentaque adhibeantur venenatis in quadrupla portione maiori facta comparatione ad venenum, quotidie; & si occasio vrget bis quoque in die: Forma autem medicamentorum poterit applicari secundum voluntatem ægrotantis, vt infra patebit. Primo in rotulis.

Rec. Foliorum Auri minutissime incisorum n.25.
Margaritarum præparatarum) an. scrup. ij.
Trochiscorum de Gallia Muschata)
Radicum, vel Herbæ Betonicæ)
Radicum Contra hierua) an. scrup. j.
Tormentillæ, Scordei præparati)

Croci, Camphoræ an. g. v., Lapid. Bezoar orientalis g. xvj. Cum saccharo dissoluto in aqua scorzoneræ q. s. secundum artem formentur rotulæ drac. j. Quæ secundum necessitatem capiendæ erunt. Si verò non placuerint istæ rotulæ, & ægrotans desiderauerit pilulas, istæ maxime sunt ad rem,

Rec. Extracti ex corticibus Citri, drac. s.
Pulueris contrahierua)
Betonicæ) an. scrup. j.
Scordei)
Margaritarum præp. drac. s.
Mithridatij optimi scrup. ij.
Lapidis Bezoar)
Vnicornu) an. scrup. s.
Moschi
Croci, Camphoræ, an. g. ij.

Cum syr. de acetositate citri secundum artem f. p. n. 12. aureatæ, & vna ex his tribuatur ægrotanti duabus horis ante prandium, & sic ante cenam. & summopere iuuabunt.

Conserua Cordialis.

Rec. Conseruæ ex acidis citri unc. ij.
Margaritarum præp. drac. s.
Pulu. Contra hierua scrup. j.
Lapidis Bezoar orient.)
Vnicornu veri pul.) an. scrup. s.

Trociscorum de Gallia pul. g. xv.
Misce & fiat compositum, cuius detur
Aegrotanti ante cibum vnc. s.

Sal contra venenum Cordiale.

Rec. Salis Theriacalis drac. 5.
Salis Perlarum scrup. 1.
Salis Gemmarum Sapphyri)
(Hyacinthi) an. scrup. 5.
(Smaragdi)
Lapid. Bezoar orient. scrup. j.
Ambrae grisae prap.)
Moschi Oriental. prap.) an. gr. vj.

Conterantur omnia simul, & seruentur in vase vitreo ad vsum, dosis est gr. vij. & est ratum.

Extractum contra venenum optimum.

Rec. Contra hierna recentioris abluta vino albo generoso. vnc. iij.
Scordei veri recentioris
Rad. ; vel Fol. Betonicae
Tormentillae
Scorzonerae) an. vnc. j.
Anthorae
Rutae
Vincetoxici
Citrulorum n. iij.

Conterantur quae sunt conterenda in mortario marmoris, & incidantur minutissimè alia, & omnia postea exprimantur cui expressioni adde.

Croci, Camphorae an. drac. j.

Omnia simul mixta ponantur in alambico vitreo in balneo Mariae, lentoque igne fac transire liquorem, qui fecibus residuis super affundatur, & tinctura eliciatur : qua tinctura extracta, liquor in vrinali euaporet, & in fundo vrinalis remanebit extractum perfectissimum contra venena omnia, quod & per se ad scrup. j. in pilula aurata exhiberi poterit, vel etiam mixtum cum alijs bezoarticis veluti.

Rec.

Rec. Totius extracti superioris
Electuarij de Gemmis) an. unc. i.
Confectionis Alchermes)
Margaritarum prap. scrup. iij.
Vnicorni veri) an. drac. 5.
Lapid. Bezoar)

Cum succo limonum fiat compositio in forma confectionis. cuius dosis erit scrup. i. in bolo aureato, & detur ante cibum 5. horis. & & hoc bezoarticum valet contra omne uenenum præter corrosiua venena; & contra pestem est vehementissimum, & præstantissimum remedium. Vel etiam fieri potest quædam compositio in forma liquida, & est elixir antiquum, præstantissimum contra omnia venena, contra pestem;& omnes affectiones cordis malignas.

Elixir bezoarticum cordialissimum contra omnia uenena, & contra pestem.

Rec. Radicum Tormentilla)
Contrabierua) an. unc. i.
Scorzonera)
Radicum Herba Tunicis)
Dictamni) an. unc. 5.
Betonica)
Radicum Enula campana) an. drac. i.
Scordei Veri)
Foliorum Anthora)
Diactomni)
Buglossa) an. m. ij.
Betonica)
Bistorta)
Melissa)
Succi limonum recentium l. j. 5.
Theriaca fina antiqua unc. ij.
Aqua ardentis optima unc. 5.
Osiis de corde Ceruí drac. ij.
Rasura eboris drac. i. s.

Terra

Terra sigillata
Boli Armeni orient.
Sandalorum omnium } *an. drac. j.*
Spodij
Been Albi, & rubei
Margaritarum praeparati
Croci scrup. ij.
Foliorum Auri minutissime incis. n. 50.

Sic Elixir componas. Accipe primo folia auri, & minutissimè ea incide, vel super porphyritem lapidem cum succo limonum tandiù ducas, vt ea in puluerem redigas, postea pone in aqua ardēti in ampulla optimè clausa, & sic dimitte per dies 15. deinde accipe margaritas praeparatas, & in eadem ampulla mitte eas, & per allos 15. dies ita aquam ardentem cum auro, & margaritis dimitte, ponendo post illos alios 15. succum limonum. Postea radices cum optimo vino lauentur, & in vmbra exsiccentur, conquascentur, similiter & herbae quo facto, pone omnia in vase terreo vitriato: quo iterum facto postea in eo vase pone Theriacam, & pulueres simul, & denique misce aquam illam ardentem cum folijs auri, & succo limonum, & margaritis taliter vas sigillando, vt non respiret, postea facias foueam in terram in loco humido profunditate trium pedum, cum solario dimidij pedis in fundo foueae ex viua calce, deinde illud vas in medio colloca, & circumcirca vel fimum equinum, vel vinacea pone cooperiendo, super quod vnam vel duas situlas aquae infundas, & sic sepultum dimitte vt sic illud vas maneat per 12. dies naturales, omnibus tribus, vel quattuor diebus renouando vel fimum vel vinacea; quibus 12. diebus praeteritis vas illud extrahe, & totam materiam pone in vase vitreo optime clauso, & per balneum mariae lento igne fac transire liquorem. Quo extracto iterum super feces proijce, & omnia conquassando iterum destilla; tandem tertia vice sic feceris, destillando diligenter, & in ampulla vitrea optimè clausa custodies eum, & reseruabis ad vsum. cuius dosis erit cochlear vnum, vel per se, vel mixtum cum aliquo bezoartico. & est praeseruatiuum singularissimum contra pestem, venena, & omnes affectus malignos.

Aqua

Aqua cordialis nostra singularissima.

Rec. Succorum Bistortæ
Anthoræ
Eringij
Pentaphyli
Pimpinellæ minoris) *an. unc. iij.*
Calendulæ
Oxalidis
Betonicæ
Dictamni
Vincetoxici
Melissæ
Buglossæ
Rutæ Caprariæ) *an. unc. iij.*
Saluiæ
Violarum
Trinitatis
Portulacæ
Radicum Tormentillæ
Contrahiervæ
Scorzoneræ
Scordei) *an. drac. iij. s.*
Aristolochiæ rotundæ
Gentianæ
Angelicæ odoratæ
Seminum Acetosæ)
Portulacæ) *an. unc. i. s.*
Citrullorum)
Terræ lemniæ, Boli armeni orient.) *an. drac. iij.*
Specierum Triasandalorum)
Succi limonum)
Citrullorum)
Rosarum) *an. l. s.*
Aceti)

The-

Theriaca antiqua)
Mithridati ope.) *an. unc.j.*
Croci, Camphora: an. drac.j.

Fiant ſucci per ſe ex omnibus particularibus illis herbis recentibus tempore Veris, Menſeque Maio; Poſtea ſpecies in ſupradictis ſuccis infundantur, ſinanturque triduo macerari, & quotidie omnibus optimè agitatis, in vaporatoriumque repoſitis lenſim liquor excipiatur: qui liquor ita potens eſt contra peſtem, morbos venenatos, uenenaque ipſa, ut non ſit ei pars. doſiſque eius eſt ad unc.j., & optimè cuſtodiatur in uaſe uitreo optimè clauſo, quoniam eſt aqua nobiliſſima, & precioſiſſima: ualet contra febres malignas, contra melancholiam, & ad omnes morbos.

Epithema cordiale, ſiue fomentum.

Abundè de remedijs intrinſecis in ſuperioribus locuti ſumus: ſupereſt ut de remedijs extrinſecis ſermonem inſtituamus, ille autem erit in proponendis remedijs applicandis partibus magis neceſſarijs. unde ſuper cor poterit fieri hoc fomentum, ſic

Rec. Aquarum ſtillatitiarum Cardui Benedicti
Meliſſa
Eringij
Bugloſſa) *an. unc.ij.*
Scorzonera
Scordei
Roſarum
Succi limonum, vel Citrullorum unc. 1. s.
In quibus diſſoluātur Sandalorum omnium)
Xiloaloes)
Corticum citri pul.) *an. drac.j.*
Scordei)
Spodij praparati
Coralorum rub.
Oſsis de Corde cerui) an. ſcrup.j.
Croci
Spet. cord. temper.
Theriaca antiqua drac.j.

Ma-

Moschi)
Ambra) *an. scrup. s.*
Camphora)

Cum panno serico Granis imbibito in fomento superiori, tempore æstiuo, frigido, tempore vernali, tepido, fiat fomentum super regionem cordis. Probatur postea iste sacculus cordialis.

Rec, Foliorum Betonica)
Pimpinella)
Oxalidis)
Melissa) *an. drac. iij.*
Carduí Benedicti)
Gentiana)
Corticum Citrullorum
Florum rosf. rubearum
Angelica odorata
Pimpinella
Ruta Capraria
Vincetoxici) *an. drac. iij.*
Dictamni Cretici
Bistorta
Anthora
Eryngij
Cinnamomi Electi
Amomi veri
Ligni Aloes
Zedoaria
Aristolochia vtriusque
Ireos) *an. drac. j.*
Spec. Triasandalorum
Nucis moschata
Coralorum vtriusque
Spec. Cordialium temp
Croci, Camphora, Moschi, Ambra an. scrup. j.

Contundantur, & conterantur omnia crasso modo, & cum panno serico de grano imbuatur sacculus, & super regionem cordis applicetur. Quod autem pertinet ad remedia, quæ applicari possunt super vulnera venenata quocunque modo inducta super aliquam corporis partem cum supra de illis parum dictum fuit, & exempla pauca proposita; deque remedijs & per os assumptis, & applicitis ad extra satis exempla proposita fuere: vt medeantur non solum affectibus venenatis, verum etiam venenis ipsis, quæ infestant, vel infestare possunt corpus humanum: superest solum, vt de illis aliquam formam in medium proponamus. Et primum erit.

Emplastrum suprà vlcus venenosum.

Rec. Allij Albi l. j.
Succi Porri vnc. iij.
Fellis Taurini vnc. j.
Rutæ capraria)
Calamenti fluuialis) *an. m. iij.*
Flor. Sulphuris. vnc. ij.
Castorei vnc. ʒ.

Fiant omnia in formam emplastri ad ignem secundum artem

Vel aliud Emplastrum.

Rec. Cancrorum fluuialium contritorum vnc. j.
Theriacæ antiquæ finæ drac. j.
Smaragdi præparati. scrup. j.

Cum aceto scylitico f. emplastrum, quod applicabitur supra partem vulneratam, & super vlcus proprium. Vel liquefac picem, & in ea feruenti intinge lanam, & ita calidam loco appone. Vel valent vesicatoria omnia supra partem ad extrahendum virus veneficum. Valetque confricare partim cum sale, & aceto, vel cinere vitis cum aceto, vel felle tauri; vel alijs similibus remedijs, quæ ne nimis appaream prolixus omnia dimittam ab auctoribus petenda.

De curatione, per victus Rationem in morbis venenatis, & venenis ipsis.

CAPVT VNDECIMVM.

INter ea, quæ necessaria sunt pro curandis affectionibus venenatis, & venenis ipsis, id vnum non infimum locum tenet, diligens .s. victus ratio, etenim cũ in ipsis vires maximopere prosternentur, si oculus quoque ad eas non dirigatur, frustra sunt omnia alia præsidia. propterea cum de victus ratione in affectionibus venenatis, & venenis ipsis sermo instituendus sit, & cum duo sint tempora consideranda in illis; vnum est tempore assumpti veneni. Alterum est, vt præseruetur corpus à venenis, eoque tempore quomodo victus ratio instituenda sit, nunc erit tractandum. De victus ratione primo ad præseruationem non assumpto ueneno, diligenter obseruãdus erit aer, vt summa custodia vitemus pestilentem, venenatum, speluncas serpentum, foueas frumentorum, loca putrida, fœtentia, fumum carbonum, lignorum, uel animalium venenosorum, quæ combusta fuerint, & si immineat periculum aliquod propter transitum in aliquibus locis, corpus vngatur vnguento rosato, uel oleo rosato, vel violato, uel alijs similibus: Vitetur somnus in locis supra notatis, & ne quis dormiat apud arborem Buxi, supra herbas venenosas, apud Cupressum, apud Nucem, Quercum, Pinum, & similes; neque in locis, ubi serpentes permaneant. Vestimenta debent esse munda, & sæpe illa permutanda, illaque suffumiganda Citris, rosis, ruta; ligno aloes, &c. Circa cibum primò si timor est de ueneno, vtendum uictu pleniori, quia faciliter fit uomitus; & venenum non ita citò cor ferit, cum venę fiant repletiores. Præterea si ventriculus sit famelicus, cautè est nutriendum, quoniam si uenenum cum cibo sumatur statim ad cor transitum faciet, sed cibaria tempore suspitionis paulatim erunt masticanda, & optime tridenda, & longo tempore in ore detinenda, sic enim discernetur, nunquid cibus vlla qualitate uenenata sit præditus, antequam uerò cibus assumatur, aqua pura

os optimè abluatur. Quantum ad victus qualitatem: ante venenum assumptum fugienda sunt cibaria, & potiones, in quibus est vapor, & odor euidens: Abstinendumque est à manducatione carnium suffocatarum putridarum, à ranis, ab Anguilis, à fungis, à fructibus incognitis, à pastitijs, & à mixturis variarum rerum, & potius vtendū carnibus assis, quam elixis, & per se incidantur ad mensam cultro securo. Mensæ adhibeantur patinæ, vulgo porcellanæ nuncupatæ, quoniam franguntur à præsentia veneni propter consumptionem ignis, & si vrgeat sitis, dimittantur vina corrupta, sed bibatur vinum bonum, mittendo ipsum vinum in vase vitreo, vt parum, firmumque permaneat, & tertia solùm pars bibatur, relinquendo residuum in fundo vasis. quoniam si ibi sit venenum, magna pars illius in fundo erit, & cognoscetur. Maximaque custodia habeatur de dolijs, ne aliquod animal veneficum ea subintret, quoniam animalia venenosa vino maxime delectantur. Pro condimentoque omnium ciborum est Sal, & Citrum, Ruta, Serpillum, Melissa, Pimpinella, Crocus, Allium, Anisum, Coriandrum, & similia, & secundum voluntatem manducantis semper vna illarum rerum cum cibis erit miscenda. Præterea Motus debet esse moderatus vsque ad sudorem, non vltra. Ab omnibus passionibus animi, ab omnibusque extremis abstinendum est. Tempore uero venenorum, quæ corpora ingressa fuere, & infestant, & est secundum tempus, siue caput: Tunc in veneno calido, & erodente probantur cibaria Vnctuosa; veluti lac, & præsertim Asininum, Ouinum, Vaccinum, & Caprinum. hoc idem probat Hip. 6. in sextum epidemiorum com. 5. probantur præterea butyrum, Oleum, Iuscula pinguia, pinguedo animalium, &c. in frigidis deleterijs probatur alliū, cinamomum, crocus, omniaque aromata. In cibarijs probantur herbæ Pimpinella, Calamentum, Origanum, Raphanus, Saluia, & similia. temporeque veneni abstineatur à somno longo, ne veneni vis in cor, & viscera referatur. Aer conclusus maxime reprobatur, sed alteretur cum suffumigijs ex sandalis, ruta, Agallocho, Citro, Cassia lignea, styrace, myrrha, &c., vt aer reficiatur. Panis condiatur aniso, coriandro, & omnia cibaria parentur cum aromatibus in frigidis: In calidis vero deleterijs à somno statuim, & à vino abstinendum est, & contraria victus ratione frigidorum vtendum, nempe cum cibarijs

rijs miscendo semper herbas frigidas, veluti buglosum, borraginem, Nimpheam, oxalidem, Portulacam, &c. Corpus reddatur semper obediens in suis functionibus, & si natura non operatur, ars administranda est in omni casu, & occasione.

An Bezoartica præsidia ad præseruationem tempore sanitatis sine læsione exhiberi possint.

CAPVT DVODECIMVM.

SAtis abunde à nobis in superioribus capitibus tractatum fuit de natura morborum venenatorum, & venenorum in genere, curamque illorum in medium proposuimus: superest declarare quæstionem quandam non uulgarem; nimirum an sanis sine detrimento possint exhiberi bexoartica præseruatiua, vt defendantur à Venenis. In qua quæstione duæ sunt præcipuę opiniones. Prima est Galeni 5. de simplicium medicamentum facul. capite 8., & Auerrois lib. de Theriaca, qui improbarunt eorum vsum tanquam potius inutilem, & damnosum, dum asserunt, illa præsidia cordialia esse media inter venenum, & corpora, & propterea potius mouentia ad pernitiem, quam ad salutem. Ex altera parte est Auicennas in lib. de viribus cordis. Aetius & idem Galenus lib. de Theriaca ad Pisonem 16., qui proponunt alexipharmaca Bezoartica tanquam vtilia pro præseruatione à venenis, Præterea experientia quotidie nos docet in morbis malignis, & venenis ipsis non solùm præsentibus, sed etiam futuris Bezoartica remedia esse maxime vtilia, & prodesse multum corporibus. Qua in re, vt soluatur dubitatio, dicendum Alexipharmaca bezoartica alia iuuare qualitatibus contrarijs: alia attrahēdo venena à centro ad circumferentiam: Alia à tota sui substantia; & hæc uel iuuant, quoniam alterāt, vel quia expellunt, vel quia corpus, viscera, & cor ita corroborāt, ut uenenis maxime resistant. Omnibus primis bezoarticis præsidijs dimissis tempore sanitatis laudanda veniunt solum ea bezoartica, quæ

iuuant

iuuant præparando corpus, uiſcera, & cor, ipſumque roborando, eo quod hæc vel parum, vel nihil ueneni in ſe contineant, unde maximo cum cum benefitio corpora illis muniri poſſunt pro præſeruatione à morbis uenenatis, & uenenis ipſis. Quare ad locum Galeni ſic reſponderem, cum eo loci inteliigat, bexoartica prædicta aliqua qualitate mala, ut ſunt priora nominata per qualitates contrarias iuuantia, & alia: propterea dixit Galenus etiam damnoſa quinto ſimplicium bezoartica tempore ſanitatis. quare iure approbauit poſtea lib. de Theriaca ad Piſonem bezoartica temperata corroborantia, ut maxime utilia quocunque tempore adhibita. Propterea ſummopere laudantur pro præſeruatione à morbis uenenatis, & uenenis ipſis Theriaca de terra ſigillata ſic compoſita.


Rec. Baccarum Lauri drac. iiij.
Terra ſigillata drac. i.
Mellis attici deſpumati l. i.

Fiat confectio, quæ fermentetur, & exhibeatur ad drac. ii. quinque horis ante cibum. Proterea conficitur extractum huiuſmodi Bezoarticum contrauenenum ſingulariſſimmum.

Rec. Succi Citoniorum)
Ruta Capraria) an. unc. ij.
Vincetoxici)
Rad. Dictamni) an. unc. s.
Contrhierua)
Citrullorum minutiſſime inciſ. numero ij.

Conterantur conterenda, & miſce omnia in alambico uitreo in balneo mariæ lento igne fac tranſire liquorem; quo reiterato ſuper feces, ter. ita ſpiritum euoca: Quod remanebit in fundo erit extractum prætioſiſſimum contra omnia venena pro præſeruando corpore, doſiſque eius erit ſcrup. s. cum vnc. i. s. ſui menſtrui, vel etiam ſine menſtruo illo. Præterea probantur pilulæ Ruffi, Athanaſiæ, Mithridatum ad fabæ magnitudi-

tudinem stomacho ieiuno, Sal smaragdi ad scrup. s. Insuper, qui dubitat de uenenis quotidie comedat stomacho ieiuno castaneas cum ficis siccis, aut rutham cum Auellanis, aut nuces uirides cum rutha, vel radicem dictamni conditam, uel tritam cum uino potam. Sed inter cętera maxime probatur illud mixtum inuentum in secretis Regum compositum ex duabus nucibus siccis, Caricis duabus, foliis ruthæ numero 20., & salis grano Omniaque trita simul, & optimè mixta ex sententia Galeni secundo de alimentorum facultatibus ad drac. ij. vsque ad vnc. 5. exhibita stomacho ieiuno præseruant ab omnibus venenis, à peste, & multis malis. Qui verò pastinacæ satiuæ semen prius ederit à serpentibus lædi non poterit ex Dioscoride lib. 6. qui vero dragonteæ maioris radicem gustauerit, vel manus frondibus fricuerit, à viperis morderi non poterit, neque à serpentibus illius generis. Quæ omnia dicta sint ad honorem D. O. M.



PATAVII, EX TYPOGRAPHIA
Ioannis Baptistæ Pasquati.





SVPERIORVM PERMISSV.

M. DC. LVII.

